





CORNARIU
DE
MAT MEDIC









M. Maurin, élève en médecine,
rue Monsieur le Prince, 56.

1.

MACRI DE MATERIA MEDICA LIB. V. VERSIBVS

conſcripti. Per Ianum Cornarium Medicum phyſicum emendati ac annotati, & nunquam antea ex toto editi.

CONTENTA SINGVLIS LIBRIS.





FRANC. Chr. Ege.

IANVS CORNARIVS
Medicus phiſicus Francoforden̄.
Georgio Pylandro Medici-
næ candidato ſtudioſiſſ.



Ametſi maximè uelim Georgi chariſſime, omnem barbariem & ineptias ex nobiliſsimo ſtudio medico ſublatas, & pro Arabibus ac barbaris medicis expulſis, græcos medicos, eoſdemq́; opt. autores introductos, Et in hac parte operam ac ſedulitatem noſtrã ſtudioſis notam eſſe non dubitem, tum ex Galeni aliquot uerſionibus noſtris, & Commentarijs Medicis, à nobis in exellentiſs. eius Authoris opus, de compoſitione pharmacorum ſecundum locos cõſcriptis, tum ex Aëtio cõnuerſo, & quibuſdam Hipocraticis latine à nobis cõſcriptis ac editis interim, donec totus Hipocrates latinus per me factus aliquando matureſcat. Tamen in hoc opere edēdo, uiſum eſt nobis paululũ à propoſito noſtro deflectere. Neq; enim uelut optimis græcis pares, aut bonis latinis comparandos, ſtudioſis hos quinq; libellos damus. Verum quum ui

derem hos partim uulgi medicorũ manibus tritiſsimos, partim uero nũquam antea editos, & illos quidem è manibus iſtorum euelli poſſe deſperarem, hos uero diutius latentes, aliquando, aut ex aliquo caſu, in totum perire poſſe formidarem, Viſum eſt utriq; malo pariter mederi, idq; hoc modo potiſsimum futurum ſperaui, ſi omnes hi libelli à nobis caſtigati, & breuibus quibuſdam appendicibus annotati inuulgarentur. Et hactenus quidẽ creditum eſt, primos tres libellos, uelut nos iuxta quoddam uetuſtum exemplar diſtinximus, Macri eſſe, non quidem illius qui ſub Auguſto Cęſare Ouidij poëtę cõtemporaneus fuit, & de quo Ouidius ait:

Macer.

Sæpe ſuas uolucres legit mihi grandior æuo,
Quæq; nocet ſerpens, quæ iuuat herba Macer.

Quid enim in ſe habent, quod ad talem poëtam, talis ſœculi, & à tanto poëta Naſone prædicatum, referri mereatur? Sed alicuius, qui quingentis plus minus annis ante nos uixit, religioſus et monachorum generis, ut apparet, Cui uel Macro nomẽ fuit, uel Macri nomen his libellis præfigere uiſum fuit, ut ſtudioſos

diosos magis tanti autoris titulo inuitarent. de qua re in caput de Ligustico amplius dicemus. Quemadmodum enim credo, libellus uulgò puerorum manibus detritus Catoni inscriptus est, quòd sententias moratas, & Catone dignas habeat, Ita hic uoluit libellis suis de herbis, Macrum autorem præscribere, ut inesse talia crederentur, qualia de herbis Macrũ prodidisse Ouidius testatus est. Quanquam Plutarchus in libello περὶ ἀοργησίας, uocem ac dictum Catonis citans, Nil mentiri debes, uel noli mentiri, hoc est Μὴ ψεύδου, indicare uidetur Catonis esse idipsum scriptum, quum sanè hoc præceptum in eoipso Catonis libello sit expressum. In summa, sœculo barbarissimo, & autore græcę linguæ ignaro, & latinæ non satis docto, primi tres libelli, itemq́ꝫ quartus, qui iam recens accessit in ueteri quodam exemplari repertus, scripti sunt. Ita tamen ut ipse autor magna ex parte Dioscoridem & Plinium contrahere uoluerit, & quæ ab illis prodita sunt, uersibus legenda proponere, quo & citius discerentur, & facilius memoria tenerentur, iuxta illud: Me-

Catonis libellus.

tra iuuant animos comprændunt plurima paucis. Hoc itaq; autoris consilium minime improbandum ducimus, & quia iuuare hoc modo studiosos uoluit, etiam uenia dignum putamus, si quândo in uocum etymis explicandis, & in syllabarum temporibus peccat. Nam quasdam uoces ab ipso usurpatas Hexametrum carmen non sustinet, & sœculi potius crimen est quàm hominis, ea linguæ grçcæ ac etymorum ignoratio. Et quid faceret qui meliora non haberet, et hæc recta ac profutura putaret? Quare multa in sœculi eius notionem reliquimus, ita ut ab autore prodita sunt, ne genuina operis facies lituris deturparetur quum etiam næui adsueti quorundam faciem ornent ac honestent. Quæ uerò magni referre putaui, utpote aperte falsa, & cum re ipsa pugnantia & medicinç uerç aduersantia, itemq; aliqua difficiliora & obscura, ea annotaui, ne uel fraude circumuenirentur, uel mora aliqua impedirentur, qui hæc in posterum sunt lecturi. Quod ipsum ut ne præstare grauarer, multis apud me precibus Egenolphus typographus industrius obtinuit,

quum

quum aliàs nõ uacet huc expatiari. Siue autem unus, siue plures sint primorum quatuor libellorum autores, nõ magnopere laborandum puto. Certè capitum ordo interturbatus, & eorundem numerus in aliquibus exemplaribus auctior, subindicant eos subinde per alios atque alios additione ac immutatione facta creuisse, et presertim quartum libellum, cuius etiam alium quàm præcedentium trium, autorē esse apparet. Nos tamen sic cum reliquis in quodam ueteri exemplari repertum, reijcere noluimus. Cæterum quintus liber de lapidibus siue gēmis, planè diuersi autoris est, et non paulò elegantior, siue uerborum selectorū, siue carminis uenustatem spectes, quanquam etiam in hoc non desint næui syllabarum moris inhærentes. Quædam exemplaria Merboldum episcopum autorem præfixum habent. Alij Merbodeum citant, uersibus inde allegatis, sed nobis uterq;, uelut ignotissimus quisq;, ignotus existit. Nec refert quis dicat, sed quid dicatur expendendum est, atq; hoc ipsum in hoc libello satis prestitisse, pro suscepto argumento, quicunq; tan-

dem autor sit iudicamus. Quicquid id est operis, id totum tibi inscribimus ac dicamus Georgi pylander, non quidem ut tibi usui esse debeat aut possit, qui optimis quibusq; Galliarum medicis aures præbes, ac doctiss. quosque Magistros præsens consulis. Sed ut testimonium aliquod amicitiæ nostræ publicè extet: & quum omnino ad literas tuas responder e uellē, faciliusa c citius euenturum speraui, ut hi libelli ad te peruenirent, quàm epistola ulla incertis nūtijs concredita perferretur. Doctiss. Parrhisiorum medicos, D. N. Acacium, itemq; D. Syluium, ex me uicissim diligenter saluta. Opt. Vale Francofordę, Cal. Martijs.

1540.

INDEX EORVM QVAE SINGVLIS ET LIBRIS ET capitibus describuntur, a. priorem, b: alteram chartæ faciem notat.



A.

INDEX.

INDEX

INDEX RERVM AC uerborum annotatorum.

ἀναλήψε

Cry-

ἰλοι

Oxi-

FINIS.

MACRI AVT POTIVS INCERTI AVTORIS,

De materia Medica lib. I.

De herbis ac plantis uulgaribus.

DE ARTEMISIA. CAP. I.

Herbarum uarias dicturus carmine uires,
Herbarum matrē iuſtum puto ponere primò,
Cui græcus ſermo dedit Artemiſia nomen.
Huius opem fertur prior inueniſſe Diana,
Artemis à Græcis quæ dicitur: indeq; nomen
Herba tenet, quia ſic inuentrix dicitur eius.
Præcipuè morbis mulicbribus iſta medetur.
Menſtrua deducit eius decoctio ſumpta.
Hocq; facit matrix, ſi ſæpe fouetur eadem,
Vel ſi cruda mero ſociata terendo bibatur,
Aut ſi trita uirens ſuper aluum nocte ligetur.
Pellit abortiuum potu, uel ſubdita tantum.
Duricias leuat hyſtericas, pellitq; tumores,
Vrinam potata ciet, lapideſq; repellit.
Ictericoſq; iuuat cum uino ſæpius hauſta.
Hanc adipi iunctam ſtrumis apponere laudat
Plinius, atq; iubet cum uino ſumere tritam.

Hæc opium nimium si quenquam læserit, haustum,
Subuenit eximiè, si uino iuncta bibatur.
Affirmant quidam: quisquis gustauerit illam,
Quòd nullo ualeat nocuo medicamine lædi:
Et quòd eum morsu non appetat ulla ferarum.
Radix illius collo suspensa, rubetis
Dicitur & cunctis nocuis obsistere ranis.
Succus ad hoc eius cum uino proderit haustus,
Si musto contrita recens seruabitur herba,
Vinum prædictis reddit medicabile morbis:
Et sapor est & odor uino gratißimus illi:
Confortat stomachum, sanat præcordia, sumptum.
Et multis aliis affirmant utile causis.

IANI CORNARII MEDICI in Caput 1. Annotationes.

Artemis. Artemis à græcis quæ dicitur.) Dianam græci Artemidem uocant, propterea quòd τὸ ἀρτεμὲς hoc est, τὸ ὑγιὲς, id est sanitatē et incolumitatē præstet. Eadem enim esse putatur quæ Lucina, quam parturientes inuocare solebant. Ab hac itaque Artemide, quam etiam Ilithyiam græci uocant, Artemisia herba est appellata. Et ob id etiam herbarum matrem, appellasse uidetur, uel quia ipsa herba fœminarum ac matrum malis medetur, uel quia ipsa Artemis dea iisdem auxiliari creditur.

ἀρτεμὲς

Lucina.

Ilithyia.

Hocq;

Hocq; facit matrix si sæpe fouetur.) Matricem uulgato magis quàm Latino uocabulo, μήτραν græcis appellatam dicit, quam nos rectè uterum ac uuluam uocamus. Eadem græcis ὑστέρα appellatur, unde paulò post duricias hystericas, id est uterinas, leuari per subditam, peßi uidelicet uel tali more, artemisiam dicit. Sed exemplaria omnia stericas pro hystericas habuerunt, propter linguæ græcæ ignorantiam. At uerò τὰ ὕστερα à singulari τὸ ὕστερον, quo Hippocrat. utitur, sunt secundæ à nobis appellatæ, et à græcis etiam δεύτερα et χόρια uocata. Sunt autem pelliculæ quib. fœtus in utero inuoluitur, quæ à partu fœtum sequi solent, unde et secundarum nomen est. item que ὑστέρων ac δευτέρων. χόρια autē per ο μικρὸν scripta, eadem sunt quæ nostra coria latina. Nā quòd Theocritus Idyll. 10. dixit: χαλεπὸν χορίων κυνὰ γεῦσαι. Id Horatius expreßit. Vt canis à corio nunquam absterrebitur uncto. Vulgus mulierculaꝛum eadem χόρια secundum partum, die affter geburt uocare solet. Matrix. μήτρα. ὑστέρα. ὑστέρα. Secundæ. δεύτερα. χόρια. Coria.

Porrò Matrices appellantur Latinis rei rusticæ scriptoribus bruta animantia fœta, & ad generis successionem destinata. Matrices.

Rubetis.) Rana Rubeta est, quam uulgo bufonem, & germani krotten appellant, græci uerò φρύνον. Rana. Rubeta. φρύνος.

DE ABROTONO. CAP. II.

TErtius Abrotono legitur gradus esse caloris,
Et desiccandi, semen feruentius herba est,
Vnde iuuat neruos, & causas pectoris omnes,
Illius elixi si sit decoctio sumpta.
Sic quoq; Dispnoicis prodest, tußimq; repellit.
Et prodest lumbis, sic uuluarumq; querelis.
Omnibus his crudum cum uino proderit haustum.
Vrinam purgat, sic & præcordia mundat:
Ischiada & curat, sic sumptum menstrua purgat.
Serpentes nidore fugat, bibitumq; uenena
Illorum extinguit, sedat quoq; frigora febris
Antea quàm ueniant, si mixto sumitur amne,
Aut oleo quo decoquitur si membra perungas.
Lumbricos uentris hanc sæpe bibendo necabis.
Huic panis micas, & mala cydonia iungens
Insimul amne coquas, oculorum cocta dolori
Apponas, uel feruori, curabis utrunq;.
Stirpes infixos & spinas abstrahet ipsum
Appositum per se, uel adeps si iungitur illi.
Hæc etiam uenerem puluino subdita tantum
Incitat, & ueneri nocuis potata resistit.

Dyspnoici. Sic quoq; dyspnoicis) Dyspnoici sunt qui ægrè spiritum ducunt, quibus à causis, & quot modis id ipsum fiat, Galenus libris 3. de difficultate spirandi à

nobis latine ſcriptis docet.

Iſchiada & curat) Iſchias coxendicum morbus latinis dicitur. Verum exēplaria ſcripta, ſic ſchiaſim curat, habent, ex grecæ linguæ ignorantia, ex qua etiā uulgus medicorum eundem morbum ſciaticam paſſonem uocare ſolet. Iſchias.

DE ABSYNTHIO. CAP. III

IN primo calor eſſe gradu, uis ſicca ſecundo
Dicitur Abſynthi, ſtomachum corroborat herba
Illius, quocunq; modo quis ſumpſerit illam.
Sed melius pluuiæ ſi ſit decocta liquore,
Et ſic ſub diuo prius infrigidata bibatur.
Sic poterit uarijs eius ſuccurrere morbis.
Hocq; modo pellit lumbricos, mollit & aluum:
Eius & immodicum ſedat ſic ſumpta dolorem.
Vrinam potu producit, menſtrua ſoluit.
Illi ſi nardum quam profert Gallia, iungas,
Et coniuncta teras, & mulſa trita reſoluas,
Præcipuè tali purgabis menſtrua potu.
Hoc quoq; præſtabunt cum lana ſubdita molli.
Si ſiler, & nardus, & acetum iungitur illi.
Noxia deterges potu faſtidia tali.
Germina ſi rutæ iungas huic, ſalq;, piperq;,
Cumq; mero tundens des hæc, decoctáue potu,
Noxius & crudus ſtomachi purgabitur humor.
Iri coniuncta pectus mire iuuat hauſta.

Acri cum uino trita se quilibet ungens
Non metuet culices, ustǽq; fugantur odore.
Ictericis crudam dabis hanc apio sociatam.
Curat epar sibi iungatur si gallica nardus.
Splenq; sibi iuncto potata iuuabit aceto.
Sic quoq; fungorum depellit sumpta uenenum.
Obstat lethiferæ cum uino sumpta cicutæ.
Sicq; uenenatis occurrit morsibus hausta.
Et claros oculos reddit cum melle peruncta.
Hocq; modo suggillatis superaddita prodest.
Decoctǽq; uapor obstrusas liberat aures.
Si manant saniæ, cum melle terens superadde.
Subuenit anginæ melli nitroq; iugata.
Vulneribus prodest contrita recentibus illa
Si superaddatur, capitis sic ulcera curat.
Pruritusq; iuuat eius decoctio fotu.
Nausea non poterit quenquam uexare marina,
Antea commixtam uino qui sumpserit illam.
In lini panno si circumcincta geratur,
Inguinis immodicum fertur cohibere tumorem.
Olfactu somnum capiti uel subdita præstat,
Hanc sibi supponi si non præsenserit æger.
Denigrat crines cinis eius, si bene mixtus
Cæroto fuerit, & eo sis sæpe perunctus.
A tineis tutam reddit, qua conditur, arcam.
Sub lingua factum curat cum melle tumorem.
Liuoremq; nigrum, qui circa luminis orbem

Apparere

Apparere ſolet, purgabit idem medicamen.
Auris depellit ſonitum cum felle bouino.
Duriciam ſplenis eius cataplaſma reſoluit.
Coniuncto ſibi melle utero ſi ſubditur herba,
Deſiccabit eam, manareq; menſtrua coget.
Ex oleo fuerit uiridis ſi cocta, iuuabit
Non modice ſtomachum, qui ſit hoc unguine fotus.
Encauſto, uino quo ſit macerata, ſoluto,
Si ſcribis chartam, mus non teret amplius illam.
Plinius attollit magnis hanc laudibus herbam,
Romanosq; refert ſacris ex more diebus,
Dum quadrigarum curſu certare ſolebant,
Abſinthi ſuccum ſolitos donare bibendum
In Capitolina uictori ſede locato,
Credentes pretium præ cunctis reddere dignum
Illi, quo firmam poſſet ſeruare ſalutem,
Quæ conſtat mundi pretio precioſior omni.

Et ſic ſub diuo prius infrigidata bibatur.) Hoc loco fri ſyllaba breuis poſita eſt, contra naturam ſuam in uoce infrigidata. Verum quod ad perfrigerationẽ decocti abſinthij attinet, Plin. lib. 27. cap. 7. ſic tradit. Bibitur et decoctũ aqua, et poſtea nocte et die refrigeratũ ſub diuo etc. Sed Plin. hoc loco corruptus eſt, et redundãt dictiones duæ, (et die) Nã noctu ſolũ ſub diuo perfrigerari talia medicamẽta debent ac datur.

Plinij locus emendatus.

possunt, uelut palam docet Galenus lib. 2. de compo. phar secundum locos, & in 4. commentariorum in sextum epidimiorum Hippocratis, ubi in Alexandria & tota Aegypto, propter aquæ frigidæ ac niuis penuriam, ea quæ frigefacere uolunt, post occasum solis, ex fenestris ad uentum conuersis, per totam noctem suspendere ipsos dicit, atque hoc ipsum ἐξαιθριάζειν graeci uocant, hoc est, ut Galen. exponit, totam noctem sub diuũ exponere. Quare Plinius hoc loco uelut dixi corruptus est, id quod etiam ex alio loco eiusdẽ Plinij patet. lib. 30. ca. 10. ubi sic ait: Draconis lingua & oculis et felle intestinisq; in uino & oleo decoctis, & sub diuo noctu refrigeratis &c.

ἐξαιθριάζειν.

Siler. Sili. Seseli.

Si siler & nardus & acetum iungitur illi) Siler pro seseli, aut sili, à Plinio itemq; Hippocrate appellato, falsò dixit, quum longè à silere frutice in aquis nascente, diuersum sit Seseli, quod priuatim Maßiliense appellatur. Quare officinæ ut distinguerent, siler montanum seseli ipsum uocant, ne aquaticum intelligere uideantur. Verum corrupta hæc sileris uox est ex sili græco. Nam sileris aquatici latina appellatio est, & hoc ipsum molle Virgilius dixit.

Hepar.

Curat hepar) Hepar priorem syllabam longam habet. Est enim græcum, ἧπαρ, quare contra naturam breuem posuit. poßit autem uersus sic rectè legi: Hepar percurat si iuncta est gallica nardus. Sequenti porrò uersu Splen in neutro genere dixit, id

quod

quod multis alijs itidem locis facere ſolet.

Coniuncto ſibi melle utero ſi ſubditur herba) Hic uerſus antea ſic legebatur: Coniuncto ſibi melle ſteræ ſi ſubditur herba. Steram itaq; dixit corrupta uoce, ex græca ὑστέρα, quæ uterum et uuluam ſignificat, uelut etiam ſuprà cap. 1. annotauimus.

Stera.

Encauſto, uino quo ſit macerata, ſoluto) Encauſtum atramentum librarium dixit, quo ſcribimus, uoce uulgata magis quàm latina, aut probe græca, in hac ſignificatione. Ipſum autẽ ad chartas incorroſas à muribus ſeruandas remedium, etiam Dioſcorides prodit, itemq; Plinius his uerbis: Atramentum inquit, librarium ex diluto eius temperatum, literas à muſculis tuetur, muſculos itaque diminutiua uoce dixit Plin. quod ἄβρωτα μυσὶ τηρεῖ τὰ γράμματα, Dioſco. ſcripſit, quanquam uetuſtũ exẽplar manu ſcriptum Plinij habeam, quod muſcis pro muſculis habet, ut accipiamus literas ipſas conſeruari, ne à muſcis impetantur, ſi atramento ex abſinthij cremore diluto ſint ſcriptæ, et nõ chartas incorroſas adſeruari à muribus, ſi idẽ fiat. atq; haud ſcio an nõ hæc lectio genuina ſit Plinij, ut qui μυίαις legerit apud Dioſcoridẽ, et nõ μυσὶ, uelut exẽplaria hodie habẽt.

Encauſtum.

Plinij locus expenſus.

DE CAVLE. CAP. IIII.

CAulis Romana, Græcorum braßica lingua
Dicitur, hæc quãuis paßim naſcatur in hortis.
Eſt tamen illius ad multa ſalutifer uſus.

Annis ſexcentis uſos medicamine caulis
Romanos, Cato teſtatur, medicina priuſquam
A medicis Romæ deſcripta fuiſſet in uſu.
Hortus tunc eſcas illis dabat, & medicinas.
Vulnera non tantum curare recentia caulem
Ipſemet affirmat, ſed quamuis inueterata,
Et cancros etiam: loca ſed prius amne lauari
Præcipit, aut uino tepido, ſic denicq; crudum
Vnaquaq; die bis tritum apponere caulem.
Hordea quam dederint cauli miſcere farinam
Idem præcepit, rutam quoq; cum coriandro.
Et ſale permodico, ſic omnia mixta terendo
Apponi diræ docuit cataplaſma podagræ.
Hoc etiam morbo medicabitur articulorum.
Hoc quoq; ſyringas ait, & luxata iuuare,
Atq; ſuperpoſitum uarios ſedare tumores.
Illius urinam, fuerit qui caulibus uſus,
Cauſis neruorum calefactam cenſuit aptam,
Hac ex urina pueri ſi ſæpe lauentur,
Aſſerit illorum multum conferre ſaluti.
Hæc de caule Cato. quondam ſcripſiſſe libellum
Chryſippum dicunt huius de uiribus herbæ.
Omnes confirmant caligine lumina tergi
Eius, qui uiridi ueſcetur caule frequenter.
Auget lac mammis cibus eius, menſtrua purgat,
Atq; iuuat ſtomachum ſumptas ut concoquat eſcas.
Si multum coquitur reſtringere dicitur aluum.

At ſemicrudus ſolet illam ſoluere ſumptus.
Aſſumptus crudus ſic ut iungatur aceto,
Splen reprimit tumidum: ſemen depellit abortum.
Vncto cum ueteri coctos bene contere caules,
His oleum roſeum quantum res poſtulat addas.
Ardores nimios iuuat hæc confectio febris,
Si ſuperaddatur ſtomacho, membróue calenti.
Acri non ſciſſum ſi iungis alumen aceto,
Et caules, ſic ut corpus redigantur in unum,
Cuncta terendo diu, potes his compeſcere lepram,
Et plures alias maculas his ſæpe perungens.
His etiam crines poteris retinere fluentes.
Dicitur & teſtes iſtud curare tumentes.
Et uarios morbos genitalia quos patiuntur.
Et melius ſi prædictis faba cocta iugatur.
Cum fœnogræco ſi tundas hunc & aceto,
Et ſuper articulorum apponas iſta dolores,
Multum ſubueniet illis, uitijsq; podagræ
Non modicum poterit iſtud cataplaſma mederi.
Vncto cum ueteri caulis cineres bene triti,
Proſunt ad ueteres lateris, coxæq; dolores.
Sit licet hæc uilis, tamen eſt medicina ſalubris.
Si caulis ſemen mixto potatur aceto,
Pellere ſæpe ſolet animalia noxia uentris.
Fit cinis ex ſiccis caulis radicibus uſtis,
Subditus hic, uuam releuat ſiccando iacentem,
Dentibus attriti ſuccum glutire uirentis,

Affirmant

Affirmant raucæ multum succurrere uoci.
Naribus infusus succus, purgat caput eius.
Qui prius est caules, uix sentiet ebrietatem.
Euulsam caulis radicem, postea terram
Que non attigerit, collo, Mellitius inquit,
Suspensam, uarios mire depellere morbos.

Caulis. Braßica. κράμβη ῥάφανος

CAulis Rhomana græcorum braßica lingua) Caulis et braßica ambæ uoces latinæ sunt, græcis autem κράμβη appellatur, quæ latinis braßica et Caulis est, Quanquam Aristoteles ac Theophrastus etiam ῥάφανον braßicā uocent. Vnde error eorum ortus est, qui rhaphanum, hoc est, radicem appellatā, braßicam esse putauerunt. Nam etiam Plinius ipse alicubi rhaphanum ac braßicam inter se confundit, neq; satis obseruat, rhaphanum aliquando pro braßica, aliquando pro radice, à prædictis autoribus accipi, uelut diffusius in commentarijs medicis in Galenum à nobis conscriptis demonstrauimus.

Annis sexcentis usus medicaminæ caulis, Romanos Cato testatur) Hæc uerba apud Plinium lib. 20. cap. 9. habentur, sed corrupte, deest enim populus Romanus, qui fortaßis literis P. R. scriptus, ab exscribente præteritus fuit. Sic autem legi debet. Catonis sententiam uel eo diligentius persequi par est, ut noscatur qua medicina usus sit populus Romanus annis sexcentis.

Plinij locus restitutus.

DE ALLIO. CAP. V.

SCorodon Argiue ſunt allia dicta latine.
Huius uim medici calidam, ſiccamq; periti
In quarto poſuere gradu, manſum uel inunctum,
Curat quos ſerpens, uel ſcorpius intulit ictus.
Sanat & appoſitum morſus cum melle caninos,
Et nocui uermes triti pelluntur odore.
In mulſa coctum commixtum cui ſit acetum,
Et bibitum, uermes uentris, tineasq; repellit.
Ex oleo cum reſte ſua ſi decoquis illud,
Morſus peſtiferos reddes hoc unguine ſanos.
Corpus & attritum cura ſanabis eadem,
Vnguine ueſicæ dolor & tumor hoc reprimuntur.
Prodidit Hipocrates educi poſſe ſecundas
Fumo combuſti ſi uulua diu foueatur.
Pulmonis uarias coctum cum lacte querelas
Potatumq; iuuat, uel crudum ſæpe comeſtum.
Cum centaurea Diocles dare præcipit illud
Hydropicis, ſic humores deſiccat aquoſos.
Idem Nephriticis elixum ſumere iuſsit.
Praxagoras illo fuit uſus cum coriandro,
Et uino, cauſas ſic curans ictericorum.
Et ſic potatum dicit quòd molliat aluum.
Cumq; faba coctum capitis ſedare dolorem
Dicitur, attrito ſi tempora perlinis illo.
Anſeris huic adipem iungas, tepidumq; dolenti
Infundas

Infundas auri, præclare subuenit illi.
Elixum tußim iuuat, & suspiria sedat.
Clarificat raucam crudum, coctum quoq; uocem.
Sed magis elixum iuuat illam sæpe comestum.
Adiuuat incoctum pulti, sumptumq́; tenesmon.
Porcino iungens adipi si conteris ipsum,
Non modicum reprimes, superaddens sæpe tumores.
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diuersorum mutatio facta locorum,
Allia qui mane ieiuno sumpserit ore.

Scorodon Argiue sunt allia dicta latine.) Exemplaria magna ex parte Scordion habent, quæ uox nō allium significat, sed herbam, cuius folia allium odore referunt. Verum hic error non infrequens est, ut σκόρδιον & σκόροδον uoces mutuò in græcis autoribus supponantur, & in Theriaces compositione, allium pro scordio suppositum esse, apud Auicennam primus obseruauit Nicolaus Leonicenus. Sic sanè etiam hic scordion pro scorodon irrepsit, quod nos reposuimus, sed ut uocem uersus ferat, geminato rr, scorrodon legere oportet.

Scordiō. Scorodon

Et bibitū uermes uentris tineasq; repellit.) Tænias uoce græca lumbricos latos appellari, et apud Plinium legi debere, in cōmentarijs medicis ostendimus, et non tineas, uelut exemplaria Pliniana habent, & hoc loco falsò legitur. Quare apud Serenum poëtam, Tenia serpens, recte prima producta habetur.

Tænia.

Ex

Ex oleo cum reste sua.) Quædam exemplaria ueste habent pro reste, sed falsò. Nam et Plinius: cum restibus suis efficacißime ex oleo illinitur, habet. Restis autem appellatur pilus ille oblongior ac coma in capite allij enascens. Restis alliorum.

Prodidit Hippocrates.) Plinius hanc rem sic tradidit. Quia & suffitu eo secundas partus euocari existimauit Hippocrates, quæ uerba propterea adscripsi, ut á studiosis emendentur. Nam redundat uox partus. & de secundis suprà cap. 1. dixi. Plinij locus emendatus.

Idem nephriticis elixũ.) Hoc loco Plinius habet. Diocles phreneticis elixum. Verum studiosus aliquis hoc uitium in Pliniũ induxit. Nam quoniam præcedat: antiqui et insanientibus dabãt crudum. Mox pro nephriticis, legendũ putauit phreneticis, quod etiam hi mente sint capti. Sed nephriticis legendum esse, nõ dubium est, Didymus enim apud Constan. Cæsarem lib. 12. cap. 30. nuper latinum à nobis factum, Allia, inquit, urinam subducunt, nephritim siue rhenũ morbum sanant. Procliue autem aliás est methathesi facta, alteram uocem pro altera substitui. Nephritici. Phrenitici. Plinij locus emendatus.

DE PORRO. CAP. VI.

IN multis causis usus medicamine porri,
Dicitur Hyppocrates, medicinæ maximus autor,
Istius succum solum dedit ille bibendum
Aegrotis, qui reijciunt, sputantúe cruorem,
Quos hæmoptoicos soliti sunt dicere Græci.

Cum

Cum galla dant hunc alij thurisue farina,
Aut geminis drachmis porrorum, seminis unam
Apponunt myrti, uino quoq; trita resoluunt.
Præ cunctis alijs dicunt hæc sumpta iuuare.
Manantemq; potes naris retinere cruorem,
Vngas si nares intus medicamine tali.
Contractas uuludas succo curabis eodem.
Reddit fœcundas mansum persæpe puellas.
Vlcera cum melle tritum iuuat, appositumq;.
Humorum capitis si destillatio fiat
Pulmones, pectusq; nocens, uocemq; canoram,
Indeq; consurgat tußis præcordia lædens,
Cum ptisana succum porri sorbere iuuabit.
Et per se solum prodest his omnibus ipsum.
Si porri partes cum lympha coxeris albas,
Sic ut aquam primam mutes, addasq; secundam,
Vtilis eius aquæ duro fit potio uentri.
Dicitur hæc eadem cum uino stringere uentrem.
Cum uino porrum datur his quos læserat anguis,
Quodlibet aut animal fundens lethale uenenum.
Nec minus his prodest si uulneribus superaddas
Sic uelut emplastrum porrum cum melle subactum.
Commixtus porri succus lacti muliebri,
Et bibitus, tußim fertur sanare uetustam.
Et uarijs uitijs pulmonum subuenit idem.
Auris compescit cum capræ felle dolorem.
Præstat idem pariter cum mulso mixtus, & auri
Infusus

Infusus tepidus, fungis si manditur obstat.
Eius iungatur succo pars tertia mellis,
Et sic per nares tepidum fundendo, uel aures,
Immensum poteris capitis sedare dolorem.
Ex uino bibat hunc lumborum quem dolor angit,
Dicitur utilius tali nihil esse dolori.
Fracturas solidat citò, duriciasq; relaxat
Appositum, uulnusq; recens citò cum sale claudit.
Si crudum fuerit sumptum, leuat ebrietatem.
Sic uenerem stimulat, sic durum molliet aluum.

Cum galla dant hunc alij thurisue farina.) Hic locus declarat, corruptè apud Plinium li.20.ca.6. cum caule legi, pro cum galla. Caulis enim hic locum non habet, sed galla adstringendi ui potens medicamentum, uelut etiam thus ac acacia. Plinij uerba sic legi debent: Sanguinē reijcientibus succus eius cum galla aut thuris farina uel acacia datur. Hippocrates & sine alia mixtura dari iubet. Plinij locus emendatus.

Aut geminis drachmis porrorum seminis, unum Apponunt myrti.) Exēplaria pro myrti uoce, myrrha habent. Verum Dioscorides, seminis inquit porri drachmæ duæ cum pari pondere myrti baccarū potæ, sanguinis reiectiones ueteres sistunt. Quare etiam hic myrti, & non myrrhæ, legendum puto. & quanquam etiam myrrha uim adstrictoriam habeat, tamen tantum pondus intra corpus su- Myrti baccæ. Myrra.

mendum uix citra noxam præcipiatur, propter om-
Opocar- pocarpasi admixtionem, quod circa optimam myr-
pason. rham reperiri, & letale uenenum esse, Galen. libr. 2.
de antidotis prodidit.

DE CEPIS. CAP. VII.

De cepis medici non consentire uidentur.
Nãq; Dioscorides inflare, caputq; grauare
Atq; sitim cepas dixit succendere mansas.
Fellitis non esse bonas ait ipse Galenus,
Flegmaticis uerò multum putat esse salubres.
Non modicum sanas Asclepius asserit illas,
Præsertim stomacho, pulchrumq; creare colorem
Affirmat, quoties aliquis conspexerit illas.
Et dicit, quisquis ieiunia soluerit illis
Vnaquaq; die, quod uiuet hic absq; dolore.
Affirmant omnes mansas inferre soporem,
Et dicunt illas mollire salubriter aluum.
Appositas perhibent morsus curare caninos,
Si tritæ cum melle prius fuerint uel aceto.
Apponunt alij cum uino melleq; tritas,
Transactisq; tribus soluunt cataplasma diebus.
Sal, rutam, cepasq; Dioscorides iubet anguis
Morsibus apponi, sic asserit ille iuuari.
Fœmineo lacti commixtus succus earum
Pellit sæpe graues infusus ab aure dolores.
Hic succus commixtus aquæ, bibitusq; iuuabit

Hos, quos subitus facit obmutescere morbus.
Naribus attractus harum tantummodo succus,
Humores nocuos capitis deponere cogit.
Mansæ uel potæ, tardantia menstrua purgant.
Triturasq; pedum soleæ quas, uel caligarum
Duritiæ faciunt, succo sanabis eodem,
Cum gallinarum pingui si sæpe perungas.
Mane sibi dentes qui succo perfricat isto,
Dicunt hunc dentis nunquam sentire dolorem.
Vlcera compescunt oris cum pane comestæ.
Intingens oleo coctas qui sumpserit illas,
Sedat quos intus dat dysenteria morsus.
Contritis cepis loca denudata capillis
Sæpe fricans, capitis poteris reparare decorem.
Oris fœtori prosunt, fastidia tollunt.
Hasq; iubent hæmorrhoidis superaddere tritas.
Illarum succus caligine lumina purgat.
Admixtus melli maculas quoq; iunctus aceto
Emendare solet, si sint hoc sæpe fricatæ.

Fellitis non esse bonas ait ipse Galenus.) Fellitos dixit biliosos, hoc est, τὸς χολώδεις. Sicut phlegmaticos pituitosos, est autem apud Galenum his locus libri secundi de alimentis fine. Felliti.

Quos subitus facit obmutescere morbus.) Plinius hoc sic habet. Et ex aqua bibendũ dederunt repente obmutescentibus. Videtur autem intelligere sydera- Obmutescentes subitò.

tos, et stupore attonito percussos, apoplectos græcè dictos, aut lingua paralyticos factos, & resolutos.

Attrita. Triturasq; pedum &c.) Trituras dixit attritus & intertrigines à Plinio appellatas, & neutro genere attrita. Græci παρατρίμματα et ἐκτρίμματα uocant. & aliquando res à quibus fiunt addunt. Sic Diosco. πρὸς ἐκτρίμματα ὑποδημάτων cepas utiles dixit, quod hic dixit, quas soleæ aut caligarũ duritiæ faciunt. Item παρατρίμματα ἐξ ἱππασίας dicunt, attrita ex equitatione. fiunt eadem etiam ex cinctu, & mutuo partium inter se affrictu.

Intertrigines.

παρατρίμματα.

ἐκτρίμματα.

Plinij locus emendatus. Plinius hoc loco tradendo corruptus est. Habet enim hæc uerba: Sic & tritæ sanant. Verum legendum est: Sic & attrita sanant.

Sedat quos intus dat dysenteria morsus.) Pro uoce morsus aliqua exemplaria morbos habent, sed falsò. Nam morsus legendum est, & intelligit eos qui ex corrosione ac ulceribus intestinorum fiunt. Est enim δυσεντερία exulceratio intestinorum, et uox ipsa apud græcos malignam quãdam intestinorum affectionem significat. Cæterum uox ipsa hoc modo in hexametrum carmen non recipitur, antepenultima enim breuis, est hic contra naturam producta.

δυσεντερία.

DE SINAPI. CAP. VIII.

Inter eas quas Pythagoras laudauerit herbas,
Asseritur primam laudem tribuisse sinapi.

Quartus

Quartus ei gradus est in ui sicca, calidáq;.
Extrahit humores uiscosos, extenuatq;,
Comburitq; cutem, uis illi est tanta caloris.
Maior uis eius in semine dicitur esse.
Sensus exacuit cibus eius, commouet aluum,
Confringit lapides, urinam & menstrua purgat.
Si tritum iungas tepidæ uersesq; palato
Ad solem, capitis purgabit phlegma nociuum.
Sternutamentis hoc admiscere salubre est,
Illo nam capitis strictura resoluitur omnis.
Mansum confortat stomachum, suspiria sedat.
Morsum serpentis, trito si iungas acetum,
Et superapponas, tali medicamine curas.
Mansum pestiferos uetat intima lædere fungos.
Vi nimium feruente cutem comburere dixi,
Sed tamen hæc multis est utilis ustio causis.
Hac oculis nocuus capitis siccabitur humor,
Et qui destillans pulmonum concaua lædit,
Et stomachi, morbosq; creat, tußimq;, phthisimq;.
Hac per uesicas coxæ dolor inueteratus
Ischias elicitur, sic græco nomine dictus
Hacq; tumor splenis durus, iecorisq; fugatur,
Et multum causis hæc subuenit inueteratis.
Vtile tot causis quoniam cataplasma sinapis
Sæpius à medicis uariatur conficiendo,
Hoc dicam qualiter fieri iubeat Menemacchus:
In mortariolo tritum bene pone sinapis

Semen, iungatur panis huic candida mica.
Sic, ut tertia pars sit panis iuncta sinapi.
His ficus siccas, & mel iungas, & acetum.
Aetatis quantum, uel morbi causa requiret.
Nam quo plus ficus siccæ, uel mellis habebit
Ille sinapismus, tanto solet acrior esse:
Debilior, quo plus panis mittes & aceti.
Nec tibi sit uilis, moneo, confectio talis,
Effectum cuius in multis sæpe probaui.
Non tamen hanc iubeo cunctis apponere morbis.
Sed rarò magnis, & causis inueteratis.
Plinius in musto cum semine præcipit huius
Radices mergi, sic postquam sumpserit horum
Omnem uim uinum, multum putat esse salubre.
Faucibus, & stomacho potatum, luminibusq;.
Pluribus & capitis dicit prodesse querelis.
Infuso faciunt oleum de semine quidam
Vtile lumborum uitijs, stupidis quoq; neruis.
Exprimitur succus tenero de caule sinapis,
Quem succum mandens dentis tormenta fugabis.
Vocales uenas semen lenire sinapis
Mansum confirmant, adipi tundendo uetusto
Commixtum, scrophas dispergit si superaddas.
Illius fumus multum prodesse caducis
Dicitur, atq; uteri causas siccando iuuare.
Cum ficu tritum capiti superaddere raso
His, qui lethargum patiuntur, magna medela est,

Velsi sæpe pedes ungendo fricabis eorum,
Semen contritum melli coniunge uel uncto,
Illud alopecias iuuat unguen sæpe fricando,
Acri cum uino lepras emundat munctum.
Hoc quoquo curatur manso periodica febris,
Antea quàm diri ueniat commotio morbi.

Sed tamen hæc multis est utilis ustio causis.) Vstio quæ per sinapis impositionem & cataplasma fit, Sinapismus appellatur. Est autem eius usus in omni antiquato dolore, & in quacunq; parte corporis ex alto uitia extrahenda sunt, Siniturq; impositus usq; ad rubefactionem aut etiam ulcerationem locorum, & pustularum excitationem, aliquando addito melle, & aceto, ac pane, prout ætas aut morbus requirit. Hic itaq; dicit per sinapismi ustionem coxæ dolor inueteratus elicitur, qui græcis Ischias appellatur, atq; hoc per uesicas, id est uesicis siue bullis ac pustulis excitatis. Sic enim lectionē hic restituimus integrā quā exēplaria antea sic corrupte habebāt. Has per uesicas coxæ dolor inueteratus. Sinapismus. Ischias.

Elicitur, sciasim quā græco nomine dicunt.

Memini autem suprà cap. 2. Ischiada & non sciasim hunc morbum dici.

Vocales uenas semē lenire.) Vocales uenas ipsum guttur et arteriam asperam appellatam, dicit, item que græcis bronchum. Venæ uocales.

Scrophas dispergit si superaddas.) Scrophas Scrophas.

Strumæ. strumas, latinis non recepto adeo uocabulo dixit. Videtur autem ex græca uoce factum esse. Sicut enim græci χοιράδας appellant, quas nos strumas dicimus. sic uisum fuit huic qui primus scrophas appellauit eos glandularum circa collum ac guttur tumores, græcæ uocis etymon exprimere, χοιράδες enim ἀπὸ χοίρων appellatæ sunt, hoc est à porcis ac suibus, quòd frequenter circa hoc animal reperiantur.

χοιράδας.

Dicitur atq; uteri causas.) Hoc loco steræ uox pro uteri uoce legebatur, quam expunximus, quum stera neq; græca neq; latina uox sit, sed uelut suprà memini, ex græca corrupta.

Periodica febris. Hoc quoq; curatur manso periodica febris.) Periodica febris dicitur quæ certo circuitu ægrum repetit, et non continua est siue continens. Commotionem autem dixit παροξυσμὸν, id est accessionē, irritationemq; ac exacerbationem. Verum syllaba antepenultima in uoce periodica breuis est, & hic præter naturam producta.

Commotio. Paroxysmus.

DE LACTVCA. CAP. IX.

Frigida lactucæ uis constat, & humida ualde.
Vnde potest nimios hæc mansa leuare calores.
Et præstabit idem superaddas si bene tritam.
Vtilis est stomacho, somnum dat, mollit & aluum:
Omnibus his melius prodest decocta comesta.

Et stomacho potius non lota comesta medetur.
Lactucæ semen compescit somnia uana
Cum uino bibitum, fluxum quoq; comprimit alui.
Lac dat abundanter nutrici sumpta frequenter.
Vt quidam dicunt, oculis caligo creatur
His, quibus aßidue fuerit cibus eius in usu.

Lactucæ semen compescit somnia uana.) Non solum somnia, sed ueneris somnia à Plinio alicubi dicta, & seminis per somnum effusionem, Dioscorides compescere lactucæ semen potum dicit, unde totum hoc caput transscriptum est. ὀνειρώττειν autem hoc uerbum est, unde fit ὀνειρωγμός, significatione somnij uenerei, in quo semen effunditur, apud medicos omnes. quum aliàs simpliciter somniare significat ὀνειρώττειν. Veneris somnia. ὀνειρώττειν. ὀνειρωγμός.

Vt quidam dicunt oculis caligo creatur.) Plinius sic: Quidam tamen, frequentiores in cibo officere claritati oculorum tradiderunt. Antea autem dixerat. Sanat omnia oculorum uitia cum lacte muliebri. Quare diuersæ hac parte sunt sententiæ autorum. Nam Dioscorides quoq; assidue comestas uisus hebetudinem inducere tradit. Contrà Florentinus apud Constantinum Cæsarem li. 12. cap. 13. Lactuca aßidue comesta inquit, uisus hebetudinem cohibet, & uisus claritatem inducit. Modi itaq; & usus rationem in his respicere oportet. Contrarietas autorum.

DE ERVCA, CAP. X.

ERucam calidam dicunt mediocriter esse,
Siccam non adeo, cibus eius digerit escas.
Et ualet urinas hæc mansa uel hausta mouere.
Manditur utiliter pueris, tußimq; repellit.
Emundare cutem maculis cum melle iugatam
Tradunt, & mundos lentigine reddere uultus.
Elixata prius radix, ualideq; subacta,
Oßibus & fractis superaddita, detrahit illa.
Cum uino tritum si semen sumitur eius,
Quosuis pestiferos ictus curare uidetur.
Hæc nigras maculas purgat cum felle bouino
Illita, mira loquar, cum uino largius haustam
Indurare ferunt hanc contra uerbera sensum.
Si conditur is coquus hanc admisceat herbam,
Aut semen, gratum dicunt præstare saporem.
Euzomonq; solent hac causa dicere Græci
Erucam, succus quòd gustu sit bonus eius.
Non modice mansam uenerem stimulare uel haustã
Confirmant medici, pariterq; pluresq; Poëtæ.
Est cum lactucis hæc herba comesta salubris:
Namq; calor dat temperiem cum frigore mixtus.

Euzomõ. Euzomonq; solẽt hac causa dicere.) εὔζωμον à grato & iucundo sapore, quem iusculis atq; obsonijs additum prebet, appellatum est, atq; hoc est

quod

quod Plinius dixit: In condiendis obsonijs tanta est suauitas, ut Græci Euzomon appellauerint. Verum de stimulanda uenere citat testes poëtas. Apud hos autem salaces, uelut etiam bulbi appellantur. Ouidius. Nec minus erucas iubeo uitare salaces. Martialis. Sed nihil erucæ faciunt bulbiq; salaces. Erucæ salaces.

DE NASTVRTIO.

CAPVT XI.

Dicunt feruentes quòd habēt nasturtia uires,
Et siccas: hac re uenerē ceu ruta coërcet,
Siccando semen fuerit si sumpta frequenter.
Fermento commixta recens hæc herba terendo,
Anthracas curat, bona quæ plebs ulcera dicit,
Si superaddatur, curáq; furunculus ista
Emittit saniem, cum qua dolor ipse recedit.
Illius succus crines retinere fluentes
Illitus asseritur, dentisq; leuare dolorem,
De qua parte dolens dens est, infusus in aurem.
Fortius est herba semen, depellit abortum
Haustum cum uino, uentrisq; animalia pellit,
Et sic serpentis dicunt obstare uenenis,
Solus odor positi carbonibus effugat illas.
Splen reprimit mixto, si sæpe bibatur, aceto.
Herbam uel semen cum polline iunge & aceto,
Hæc contrita simul schiasis superadde dolori,
Utile non modicum confirmant hoc medicamen,

Lichenas

Lichenas ſuccus purgat cum melle perunctus.
Si porrigo caput, aut ulcera turpia fœdant,
Anſeris admiſcens adipi naſturtia trita,
Sæpius unge caput, uitium pelletur utrunq;.
Si coquis hanc herbam capræ cum lacte recenti,
Illius aut ſemen, dolor angit pectora quiſquis
Aſſumpto tepido potu ſedabitur iſto.
Semen cum tepida contritum pondere drachmæ,
Et bibitum, dicunt quod durum molliat aluum.
Tußim compeſcit ſemen cum melle uoratum.

Hac re uenerem ceu ruta coërcent.) Hoc ex Plinio tranſcripſit, qui ait: Naſturtium uenerem inhibet, animum exacuit. Contrà ſentit Dioſcor. qui uenerem ſtimulare Naſturtium prodit, atque huic adſtipulatur Nicandri interpres. Plinio autem ſuffragatur Didymus apud Conſtant. Cæſarem li. 12. cap. 27. qui ἀφροδισίων ἐφεκτικώτερόν ἐστιν inquit. Id eſt, res venereas magis inhibet. Ego etiam hic modi reſpectum habendum iudico, ad quem etiam autores reſpexerunt.

Contrarietas autorum.

Hæc contrita ſimul ſciaſis ſuperadde dolori.) Sicut ſuprà dixi, ſciaſim pro Iſchiade dicere ſolet. Quare & hunc uerſum ſic rectè legere potes. Contrita Iſchiadis ſuperaddas illa dolori. Plinius hoc medicamentum ſic retulit: Coxendicibus et lumbis cum polenta ex aceto illinitur, pollen itaque hoc loco pro polenta expreſſus eſt. Nam & Dioſcor. cum

Iſchias.

aceto

aceto et polenta impositum Ischiadicis prodesse tradit. Est autem polenta farina hordeacea fricta. Polenta enim à polline & farina distat, eo quòd torretur. Vide commentarios nostros medicos. Polenta.

DE RVTA. CAP. XII.

A Medicis Rutæ uis feruida dicitur esse,
Siccaq; fertur in his gradus illi tertius esse.
Vtilis est ualde stomacho si sæpe bibatur,
Expellit partus potu, ueneremq; coërcet.
Tußim si bibitur compescit, menstrua purgat,
Si coquis hanc in aqua, cui uinum iunxeris acre,
Compescit talis decoctio tormina uentris.
Pulmones iuuat & pectus, morboq; medetur
Costarum, quem pleuritim uocat Attica lingua.
Arthriticos, sciasimq; iuuat, febriq; medetur
Hausta, uel ex oleo, uiridem si coxeris illam,
Et foueas tepido patientes ante tremorem.
Matricis prodest, intestiniq; tumori
Hoc unguen, uel clysteri si funditur intus.
Haustaq; cum uino prodesse ualebit utriq;.
Lumbricos oleo decocta & pota repellit.
Cum caricis decocta diu, uiniq; liquore,
Prosunt hydropicis, si sint superaddita nocte.
Cruda comesta recens oculos caligine purgat.
Et melius marathri cum succo, felleq; galli,
Melleq; si succus ex æquo iungitur eius,

Indeq;

Indeq; sint oculi patientis sæpe peruncti:
Cum roseo miscens oleo, nec non & aceto
Illius succum, capitis curare dolorem
(Quamuis immodicũ) poteris hoc sæpe perũgens.
Naribus expressus si succus funditur eius,
Sistit manantem benè desiccando cruorem.
In corio mali granati si tepefactum
Auribus infundas, depelles inde cruorem.
Cerusæ, roseoq; oleo miscens & aceto
Illius succum, mirandum conficis unguen
Ad depellendum sacrum quem dicimus ignem.
Et scabiem certe, quam dicunt Herpeta græci.
Purgas, & dictos Græcis hoc ungine achoras.
Vlcera sunt capitis humore fluentia pingui.
Curat & ozœnas immissum naribus, hæc sunt
Quæ grauiter fœtent in naribus ulcera nata.
Obstat pota mero, uel cruda comesta, uenenis.
Hoc Mithridates rex Ponti sæpe probauit,
Qui rutæ folijs uiginti cum sale pauco,
Et magnis nucibus binis, caricisq; duabus
Ieiunus uesci consurgens mane solebat.
Armatusq; cibo tali, quascunq; ueneno
Quilibet insidias sibi tenderet haud metuebat.
Mustelæq; docent obsistere posse uenenis
Mirificè rutam comedunt quæ primitus illam
Cum pugnaturæ sunt cum serpentibus atris.
Cum butyro, modicoq; oleo decocta, tumorem

Matricis

Matricis subiecta tepens fugat illa, colicq́;,
Et cunctis intus morbis sic subdita prodest.
Hac etiam testes poteris curare tumentes
Cum folijs lauri bene tritam si superaddas.
Ex hac antidotum non paucis utile causis
Conficitur: medici dicunt diapeganon illud.
Peganon in græca lingua quia ruta uocatur.
Illius antidoti confectio talis habetur:
Pondere iunge pari nitrum, piper, atq; cyminum,
De tribus his, quantum de ruta, ponito tantum:
Sed prius ex acri uino macerare cyminum
Conuenit, in ferro post assari calefacto,
Omnia deinde simul bene trita ex melle iugabis.
Pectoris, & lateris, iecoris, renumq́; dolores
Hoc ex antidoto curantur sæpe comesto.
Extenuat bilem, mollit sine tormine uentrem,
Confortat stomachum, facit ut bene digerat escam.

Arthreticos sciasimq́; iuuat.) Et hic rectius legeris: Ischiada arthritimq́; iuuat, &c.

Hoc unguen uel clysteri si funditur intus.) Clyster instrumentum est quo infusa per anum immittimus, ad eluendam aluum. Verum antea clysterio legebatur, quam uocem uersus non tolerat, quare restituimus rectam lectionem. Clyster.

Et scabiē certe quā dicunt Herpeta græci.) Et hūc uersum sic rectius legeris: Et certe scabiē quã græ

cis

Herpes. cis dicitur herpes. est enim accusatiui syllaba media producta, nam per. η. scribunt græci τὸν ἕρπητα. Herpes autem aliquando ulcus est, aliquando non, & quandoq; cum exulceratione, non seruans ueterem sedem uicinas partes depascitur, sed uelut nomen ipsius indicat, instar serpentis bestiæ, prioribus partibus relictis ad alias transit. Generat autē herpetem humor biliosus, ut propterea eiusdem generis sit cum igne sacro, quem erysipelas græci dicunt, atq; hoc magis si sit exulceratus. Differt autem ab ipso humoris tenuitate, qua non solum omnes internas partes carnosas penetrat, sed etiam per ipsam cutem usq; ad summam cuticulam, quam solam corrodit ac exedit, propterea quòd ab ipsa impeditur ac retinetur. Nam si per hanc uelut sudor penetraret, ulcus non efficeret, plura de hoc Gale. Methodi lib. 14. fine.

Ignis sacer.

Purgas et dictas græcis hoc unguine achoras.) Hunc uersum sic restituimus integrum, antea enim habebatur. Et græce dictas acoras hoc unguine purgas. Achores autem media producta, nam per ῶ μέγα scribendum est. sunt ulcuscula capitis tenuibus foraminibus cutem erodentia, et tenuem etiam in se humorem habentia, ut inde appellationem traxisse subindicet Galenus, ab hoc uidelicet symptomate tenuitatis, ἀχῶρες enim dicti uidentur quòd non amplùm locum occupent, & tenuem insuper in se humorem

Achores.

ἀχῶρες.

humore comprehendant, à uerbo χωρέω, & priuatiua pericula à, uoce ipsa composita, uelut etiam in Comment. medicis nostris annotauimus in li. 2. ca. 8. Galeni de compos. medica. secundum locos.

DE APIO. CAP. XIII.

EST apium dictũ, quòd apex hanc ferre solebat
Victoris, ueterũ fieret dum more triumphus.
Ipse sibi talem prior imposuisse coronam
Dicitur Alcides: morem tenuere sequentes.
Ast alij dictum credunt, quòd apes uehementer
Illius soleant auidè decerpere flores.
Hanc herbam selinon solet attica dicere lingua.
Virtutis calidæ, siccæ quoq; dicitur esse.
Tertius à medicis datus est gradus huic in utroq;.
Illius succo si candida mica terendo
Panis iungatur, oculi sedare tumorem
Dicitur, emplastri noctu superaddita more.
Sicq; ferunt mammis prodesse tumentibus illam.
Sedat feruorem stomachi, pellitq; tumorem.
Et quicquid uenti creat, includitúe nociui,
Desiccansq; poris assumpta repellit apertis.
Prouocat urinas hæc cruda comesta, uel hausta.
Sed mage radicum facit hoc decoctio sumpta.
Hoc itidem semen operatur fortius haustum.
Tota uenenatis occurrit morsibus herba,
Sed semen potius, uel apozema proderit eius

Si bibitur, tußimq; modo sedabis eodem.
Ventrem constringit, uomitum potata coërcet,
Limphæ commixtum, quoq; si iungatur acetum
Aegris amissum fertur reparare colorem,
Cruda à ieiunis fuerit si sæpe comesta.
Vnaquaq; die uexantem corpora febrem,
Cum limpha potata fugat febris ante tremorem.
Hydropicos, & splen tumidum iuuat illa, iecurq;
Si cum fœniculi succo contrita bibatur,
Hacq; superposita, turpis lentigo fugatur.
Illius succus farris cum polline mixtus,
Atq; oui lachryma, uulnus benè purgat & ulc.
Si superaddatur emplastri more frequenter,

Est apium dictum.) Quòd apium ab apice dictum sit, & quòd in triumphis à uictoribus in apice galeæ gestatum sit, utrumq; falsum est. Nam neq; est hoc apij uocis etymon, neq; triumphantes apio coronabantur. Verum sacri certaminis uictori in Nemea ex apio corona præmium dabatur. Sicut in olympijs ex oleastro, et in Isthmijs ex pinu, et in Pythijs mala, tot enim sunt certamina sacra, eorumq; præmia apud græcos, uelut tradit Lucianus in Anacharsi, & Archias li. I epigr. græcorum. Sed neq; illud satis cõstat quòd ab apib. apij orignationem de ductã putat. Nam apiastrum inde nomen habere crediderim potius, quũ ea gratia etiã græcis Melissophilon

Apij corona.

IIII. certamina sacra.

Apiastrũ

philon & Melitteon atq; Melittæna appelletur.

Vel apozema proderit eius.) ἀπόζεμα decoctum siue decoctionem significat, à uerbo ἀποζέω feruefacio, decoquo. Nihil autem significat uox apoxima quæ antea legebatur. ἀπόζεμα.

Vnaquaq; die uexantē corpora febrem.) id est, quotidianā, ἀμφημερινὸν græcis appellatam. Cotidiana febris.

Atq; oui lachryma.) Oui lachrymam dicit oui album, itemq; oui candidum à Plinio dictum, siue albuginem. Oui lachryma.

DE SABINA. CAP. XIIII.

EST brathy græce, Sabina uocata latine.
Sicca calensq; eius uis est, & tertius illi
Est in utroq; gradus, uulnus cum melle uel ulcus
Fortiter exiccat, sordes quoq; purgat eorum.
Sic iuuat anthracas, bona quæ plebs ulcera dicit.
Menstrua deducit, corruptos extrahit aluo
Conceptus, si cum uino sit sumpta frequenter,
Vel si trita prius matricis subditur ori.
Cerotis admixta, cutem facit esse nitentem.
Omnibus & morbis prodest de frigore factis.
Illius in uino uel aqua decoctio, curat
Quos uertigo nocet, si lotum sit caput inde.
Herbáq; temporibus, & fronti cocta ligetur.
Duplum sabinæ, si desim cinnama, poni
In medicamentis iubet Oribasius author.

Duplum Sabinæ, si desint cinnama, poni In medicamentis iubet Oribasius autor.) Et hi uersus rectius sic legi possunt. Duplum Sabinæ, si desint cinnama, poni In medicamentis id Oribasius iubet autor. Habet enim Oribasius primam breuem, itemq; antepenultimam, ut libro epigr. græcorū habetur.

Sabinæ duplum cinnamomo.

Oribasius

ἰητρὸς μέγας οὗτος ἰουλιανοῦ βασιλῆος
ἄξιος εὐσεβίης δῖος ὀρειβάσιος.
εἶχε γὰρ οἷα μέλισσα σοφὸν νόον, ἄλλοθεν ἄλλα
ἰητρῶν προτέρων ἄνθεα δρεψάμενος. hoc est, ut nos reddidimus.

Magnus Iuliani medicus num Regius hic est?
Diuino cultu dignus Oribasius.
Mente ualens medicorum, apis instar, plura coëgit
Scripta, nouo tantum rescida flore legens.

At uerò an Oribasius hoc de Sabina prodiderit, incertum nobis est, ad quos nondum totus is autor peruenit. Certè Aëtius sermone I. id ipsum tradit, quem sanè etiam hoc ex Oribasio, sicut pleraq; alia, transscripsisse putamus. Sed & Plinius idem tradit, utroq; uetustior autor, & qui idem ex græcis sumpsisse uidetur, ut non necesse sit adeò ad hanc rem comprobandam Oribasij autoritatē aduocare.

DE NEPETA. CAP. XV.

HErbam quā nepetā uulgari more uocamus,
Hāc medici græco calaminthes noīe dicūt.

Sicca

Sicca calensq; illi uis est, & tertius item
Est in utroq; gradus. Cum mulsa sicca tepenti
Sumpta, solet totum sudore resoluere corpus.
Ex oleo quo sit decocta perunge fricando
Illum, uenturæ metuit qui frigora febris,
Non frigus tantum, sed febrem sæpe repellit.
Ischiada ac si quis patitur, coxæ superadde
Contritam uiridem, fertur comburere pellem.
Et sic humores siccando, fugare dolores.
Apposita, ast potuq; suo citò menstrua purgat.
Est lepræ species, elephantiasisq; uocatur,
Quæ cunctis morbis maior sic esse uidetur,
Vt maior cunctis elephas animantibus extat.
Hunc in principio morbum potus calaminthes
Cum uino curat, humores extenuando.
Serpentum morsus superaddita trita, nocere
Non sinit, & pellit cum uino sumpta uenena.
Potus, & iniectus lumbricos enecat eius
Succus, & in membris uermes necat omnibus ipse.
Si mel iungatur huic cum sale, plus operatur.
Si bibit hanc prægnans, aut tritam subdit, abortit.
Purgat & ictericos cum uino, curat anhelos,
Asthmaticos medici quos Græco nomine dicunt.
Et iecoris morbos cum uino mitigat hausta.
Hocq; modo ueterem lateris iuuat illa dolorem.
Atq; cicatrices nigras superaddita trita,
Hæc naturali reddit purgando colori.

Vino decocta facit hæc melius cataplasma.
Compescit stomachi cum uino sumpta dolorem.
Fumus de domibus serpentes effugat eius.
Tollere singultum cum uino dicitur hausta.
Hocq; modo uenerem cohibet potata frequenter.

Totum hoc caput ex Oribasio transscriptum est, quem latine conuersum autor hic habuisse uidetur. Habetur autem ad uerbũ apud Aëtium lib. 1. itidem ex Oribasio transsumptum.

Lepra. Scabies. Elephantiasis. Est lepræ species Elephantiasisq; uocatur.) Elephãtiasim lepræ speciem esse dicit, non ita male, Nam et Galenus in libro de tumoribus, Scabiem ac lepram atræ bilis in sola cute affectiones esse tradit, ut si hæ ipsæ etiam in uenis ac carne fiant, cancri nomen adipiscantur. Cancer. Cancer autẽ totius corporis est Elephas uel Elephantiasis, uelut Paulus lib. 4. cap. 1. docet. Quare secundum magis & minus hæc mala inter se differunt. Certè Hypocrates in libro περὶ παθῶν, lepram et pruritum & scabiem et impetiginem & uitiliginem à pituita fieri prodit, & τοιαῦτα αἴσχος μᾶλλον ἢ νουσήματα esse ait, hoc est turpitudinem magis quàm morbos. Verum qualis morbus Elephantiasis sit accuratißimè Aëtius sermone 13. describit, quem nuper latinis hominibus legendum exhibuimus. Vulgus medicorum Arabas in hoc sequuti, lepram cum Elephantiasi confundunt. Imò le-

pram

pram pro Elephantiasi accipiunt.

Potus & iniectus, lumbricos enecat eius.) Hoc est, siue potetur, siue per sedem inijciatur, quod græcis est πινομένη καὶ ἐνιεμένη. Vnde sunt ἐνέματα, infusa, id est quæ per clysterem infunduntur. ἐνέματα. Infusa.

DE FOENICVLO. CAP. XVI.

Foeniculum medici calidum, siccumq; secundo
Dicunt esse gradu, marathrum Græcus uocat illud.
Cũ uino cunctis obstat hæc herba uenenis.
Et sic assumptum uenerem stimulare uidetur
Hac mansa serpens oculos caligine purgat.
Indeq; compertum est humanis posse mederi
Illam luminibus, atq; experiendo probatum.
Radicis succus oculis cum melle perunctus,
Pulsa reddit eos omni caligine claros.
Expressus marathri uiridi de semine succus,
Soleq; siccatus, magnum medicamen habetur,
Ad quoscunq; uoles oculorum pellere morbos.
Auribus infusus uermes succus necat eius.
Renibus in ptisana radix decocta medetur.
Cum uino fugat hydropicos potata tumores.
Sicq; uenenatis obsistit morsibus illa.
Sic quoq; pulmonis obstat, iecorisq; querelis,
Hac & nutrici sumpta, fit copia lactis.
Cum uino uel aqua radicis coctio sumpta,
Nephriticis, & uesicæ morbis medicatur.

Vrinas purgat, & menstrua sumpta resoluit,
Vel si trita super pecten hæc herba ligetur,
Nausea cum uino sumpta sedabitur illa.
Feruorem stomachi cum lympha mitigat hausta.
Radix illius uino decocta, dolores
Fomento curat, patitur quos uirga uirilis,
Hoc quoq; si iungas oleo facit, atq; perungas:
Ictu, uel factos subito quoscunq; tumores,
Apponens tritam iuncto sedabis aceto.
Semen cum uino bibitum, ueneris mouet actus.
Hocq́; modo lateris diros sedare dolores
Dicunt, aut herbæ si sit decoctio sumpta.
Tradunt authores eius iuuenescere gustu
Serpentes, & ob hoc senibus prodesse putatur.

Vel si trita super pecten hæc herba ligetur.) Quædam exemplaria pectus habent pro pecten, sed falsò, Nam ad urinas & menstrua cienda pectinis locus medicamento adhibendo commodus est, non pectoris. Nec referri potest ad nauseam, de qua mox sequitur, quum ad nauseam non imposita, sed cum uino sumpta utilis existat. Sicut ad feruorem stomachi cum lympha, id est aqua frigida, uelut Dioscorides habet. Cæterum stomachum hic pro ore uentris dixit, & non uelut uulgo in usu est, pro ipso uentriculo, feruorem uero καῦσον, id est æstum siue ardorem dixit. Sic enim Diosc. habet καῦσον στομά- Stomachus.

χοῦ παραιτεῖσαι, id eſt ardorem oris uentris exi-
mit. Stomachum autē etiā hic non proprie pro ore
uentris dixit, quū proprie gula, quæ græcis etiam Gula.
uocatur ὀισοφάγος, per ſtomachi uocē ſignificetur,
uelut fuſius in cōment. medicis noſtris oſtendimus. Oeſophagus.

DE SATVREIA. CAP. XVII.

THymbra ſolet græce dici, Satureia latine.
Illi ſicca nimis uis eſt, ſed feruida ualde.
Prouocat urinam, cum uino, & menſtrua ſumpta,
Pellit abortiuum, muliebria uiſcera purgat.
Illius puluis cum cocto melle ſubactus,
Et manſus, uel cum uino ſi ſumitur idem,
Pectoris humorem pellit per ſputa tenacem.
Cum uino tepido compeſcit tormina uentris,
Si large bibitur, uinum iam ſæpe probaui.
Eſt quidam morbus lethargus nomine dictus,
Oppoſitum medici quem dicunt eſſe phreneſi,
Quòd uetat hæc ſomnum, ſomno grauat ille ſed æ-
Hoc tam lethali morbo depreſſus, aceto (grum.
Thymbram cōmiſcens, foueat caput inde frequēter,
Sic uitium pigri poterit depellere morbi.
Hanc herbam caueat mulier contingere prægnās,
Nam non manſa modo, ſed partum ſubdita pellit.
Nauſea ſedatur hac, ſi bene trita bibatur
Cum modico uino, uel ſi ſumatur in ouo.
Hocq; modo mire uenerem ſolet illa mouere,

Si largo potu uiridis uel sicca bibatur:
Quòd si cum uino mel iungitur & piper illi,
Non modicum ueneris succendere dicitur ignem.
Hinc est à Satyris meritò satyrea uocata.
Quòd sint in uenerem nimis hæc animalia prona.
Si desit thymus, pro thymo ponere thymbram
Præcipiunt medici, quia uis est æqua duobus.

Pectoris humorē pellit per sputa tenacem.) Exemplaria magna ex parte persumpta habebant, pro per sputa, sed sinceram lectionem nos reposuimus, suppostitia reiecta.

Quòd uetat hæc somnum, somnus grauat ille sed ægrum.) Et hunc uersum sic restituimus. Antea habebatur: Quod uetat hic sumptum somno grauari hic nimis ægrum. At uerò phrenitis quam hic phrenesim dixit, inflammatio est membranarum cerebri, aliquando etiam ipso cerebro simul inflammato, aliquādo uerò caliditate præter naturā in ipso consistente. Consequuntur autem ad phrenitim uigiliæ omnino, & mentis alienatio. Cæterum lethargus læsio quædam rationalis animæ partis est, et eūdem locum quem phrenitis occupat, cerebrum uidelicet ipsum, sed materiam pituitosam humidiorem ac frigidiorem, cerebrum perrigantem habet. Vnde ægri somniculosi fiunt, imò sopore altiss. opprimuntur, & ægre excitari possunt, fiuntque delyri ac penitus obliuiosi, Vnde etiam lethargus nomen habet,

Phrenitis. Phrenesis

Lethargus.

Nimirum

Nimirum quod λήθην, id est obliuionem inducat. λήθη.

Hinc est à Satyris.) An sit à satyris satureia latinis appellata, nō certò affirmare ausim. Satyrion certe græcis dictam herbam. à satyris nomen habere credo. Satyros autē esse animalia pernicißima humana effigie, tum quadrupedum more, tum erecte currentia, Plinius autor est. De eorū itaq; salacitate Satyrion appellatam esse græcis apparet, Nam in totū quidem græci, quum concitationem hanc uolunt significare, satyrion appellant, ait Pli. 26. cap. 10. hic idem Plin. de Aristolochia polyrrhizo, eadem satyrion est ait, id est uim concitatricē ad uenerē habet. Quare ad græcorū imitationē Satureia, quasi satyreia latinis dici posse uidetur, græci utiq; thymbrā uocāt. Martialis poëta Satureia pluraliter appellat, quomodo Aëtius etiā li. 1. τὰ θύμβρα dixit. Satyrion. Satyri. Saturia plr.

DE MENTHA. CAP. XVIII.

Vim caldā, siccāq; gradu fert mētha secūdo.
Illius potu uis digestiua iuuatur.
Confortat stomachum, uomitū quoq; detinet hausta.
Lumbricosq; modo depellere fertur eodem,
Diuersis morbis occurrit testiculorum,
Si foueantur aqua, qua menthæ cocta sit herba.
Concretum soluit lac mammis addita trita.
Instillata fugat auris cum melle dolorem.
Asperitas linguæ fugit illa sæpe fricata,

Haustaq;

Haustaq; cum sapa partum solet accelerare.
Trita canis morsum superaddita cum sale curat.
Hæc hæmoptoicis mixto succurrit aceto.
Matrici succus si subditur illius ante
Quàm fiat coitus, mulier non concipit inde.
Caseolos succus putrescere non sinit eius
Admixtus, uel si uiridis superadditur herba.

Digestiua uis. ἀναδοτι κὴ. Potentiæ naturales.

Illius potu uis digestiua iuuatur.) Vim digestiuam dixit, quam ἀναδοτικὴν, id est distributiuam cōcocti iā alimenti græci appellant. Estq; hæc una ex quatuor potentijs naturalibus, quarum prima est Attractiua, secunda concoctrix siue alteratiua, & aßimilatiua, itemq; digestiua appellata, tertia retentiua, quarta expulsiua.

DE SALVIA. CAP. XIX.

Saluia cui nomen elelisphacus est apud Argos.
Cum mulsa iecoris prodest potata querelis.
Pellit abortiuum, lotiumq;, & menstrua purgat.
Trita uenenatos iuuat & superaddita morsus.
Crudis uulneribus, quæ multo sanguine manant,
Apponas tritam dicunt retinere cruorem.
Cum uino succus tepidus si sumitur huius,
Compescit ueterem tußim, laterisq; dolorem.
Pruritus uuluæ curat, uirgæq; uirilis,
Si foueas uino fuerit quo saluia cocta,

Illius

Illius ſucco crines nigreſcere dicunt,
Si ſint hoc uncti crebro ſub ſole tepenti.

Compeſcit ueterem tuſsim.) Quædam exemplaria uentrem pro ueterem falſò habent. Verum quod ſequitur, pruritus uuluæ, accipiendum eſt de pudendo muliebri, non de utero, quem uulua ſignificat, Dioſcor. τοὺς τὰ περὶ αἰδοῖα κνησμοὺς habet, eius decocto ſedari pudendorũ tam maris quàm fœminæ pruritus dicens.

Vulua pro pudendo muliebri.

DE ENVLA. CAP. XX.

INula, quã Græcus helenon uocat, helleniumq́;,
Dicitur à medicis. eſt forma cognita cunctis.
Humida uis eius, & feruida dicitur eſſe.
Humor habere gradum primũ, feruorq́; ſecundum
Dicitur, illius decoctio menſtrua purgat.
Si bibitur mouet urinam, depellit abortum.
Dicitur hæc eadem ſtipatum ſoluere uentrem.
Iſchiada ac radix ſanat trita addita coxæ.
Ex eius folijs cum uini nectare coctis
Mire nephrtiicis renes inuoluere prodeſt.
Eius radicum puluis cum melle uoratus
Tuſsim compeſcit, orthopnoicisq́; medetur.
Cum ſucco rutæ ſuccus ſi ſumitur eius,
Affirmant ruptis quòd proſit potio talis.
Hac etiam poteris teſtes curare tumentes.

Inula quam græcus.) Hic uersus in aliquibus exemplaribus corrupte sic legitur. Inula quam uulgus elnam uocat eliniũq;. Sunt enim hæ appellationes græcæ, ab Helena insula, ubi è lachrymis Helenæ natum esse aiunt. Duplex autem est. Nam alterum Aegyptium uocatur, Theophrasto & Dioscoride ac Plinio autoribus. Mox rursus legebatur uersus corruptus. Radix trita fugat schiasim superaddita coxæ, quẽ sic emẽdauimus. Ischiada at radix sanat trita addita coxæ. Dios. tamen non radicem, sed folia ipsius in uino cocta ischiadicis utiliter imponi tradit. quod medicamentum nephriticis cõmodum hic autor prodit, si rhenes eo inuoluãtur ac integãtur. At uerò ultimus uersus in omnibus exemplaribus deest, uno excepto, ex quo ipsum apposuimus.

Helena.

DE PASTINACA. CAP. XXI.

Est pastinacæ uirtus in semine tantum,
Et radice simul, mulsa si decoquis eius
Radices, multum decoctio proderit eius,
Si potanda datur splenis, iecorisq; quærelis.
Lumborumq; iuuat eadem potata dolorem.
Has si lacte coquas, decoctio sumpta iuuabit
Asthmaticos, quamuis ueteres, uentresq; fluentes.
Radix illius collo suspensa, tumores
(Vt quidam dicunt) compescit testiculorum.
Qui pastinacam fert, aut qui manderit illam,
Dicitur à nullo serpente posse noceri.

Accendit

Accendit uenerem, si large sumitur illa.
Si circumscalpis dentes radicibus eius,
Dicunt à grandi persæpe dolore leuari.
Ex uino pastinacæ si sperma bibatur,
Compescit diros quos scorpion intulit ictus.
Sic quoq; fœminei uentris curare tumorem
Dicunt, quo mulier quasi prægnans esse uidetur.
Appositum cancris tritum cum melle medetur.
Quòd pastum tribuat est pastinaca uocata,
Namq; cibum nullæ radices dant meliorem.

Qui pastinacā fert.) Ex Plinio hoc transscripsit, sicut cætera omnia, qui hoc sic tradit: Habentes eam feriri à serpētibus negātur, aut qui ante gustauerint nō lædi. Diosco. gestationis utilitatis, & ut habeatur tantū, nō meminit. Verū eos qui ipsam præsumpserint à uenenatis bestijs illesos permanere. Cæterum quòd uenerē accendit, ob id Orpheus amatoriū staphylino siue pastinacæ inesse dixit, et φίλτρον ea gratia à Diphilo appellatū est apud Athenæum. Sunt autē φίλτρα quæ amoris cōciliandi gratia exhibentur, à Plinio Amatoria dicta. At uerò quòd à pascēdo, et pastū præbēdo pastinaca dicta sit autori libenter credemus, græcis certe staphylinus appellatur. φίλτρα Amatorum.

DE CHAEREFOLIO. CAP. XXII.

Est chærefolio uis acris et ignea ualde.
Appositum cancris tritū cum melle medetur.

Cum uino bibitum lateris ſedare dolorem
Sæpe ſolet, tritam ſi nectis deſuper herbam.
Cum mulſa bibitum pituitæ noxia ſoluit.
Ex oleo coctum frigus depellit inunctum.
Si tritum mixto uiolento ſoluis aceto,
Lumbricos tali potu, tineasq; repellis.
Cum uino ciet urinas, & menſtrua purgat.
Virgine cum cæra, uetus huic axungia mixta,
Non modo parotidas, uerum quoſcunq; tumores
Curat uel reprimit, ſi ſæpius hæc ſuperaddas.
Intinctum ualido ſi manducetur aceto,
Sæpe ſolet uomitum, uentremq; tenere ſolutum.
Si trito tegitur pecten ſuccusq; bibatur,
Vrinæ clauſos reſerat quoſcunq; meatus.
Illius elixatura uertigo fugatur,
Si caput hac tepida patientis ſæpe lauetur,
Herbaq; temporibus & fronti cocta ligetur.

Chærefolium. χαιρέφυλλον.

Chærefolium de quo hoc loco agit, nulla alia herba eſt quàm quæ uulgo noſtrati kerbel, corrupta ut apparet ex cerifolio uoce, appellatur. Et ego ſanè ipſam ex apij generibus eſſe puto, χαιρεφυλλόνq; dictam græcis, quòd multis paruis folijs redundet, atq; hec oleris uice coquũtur ac edũtur. quare etiã collumella breue chærephylon dixit. Pallad. lib. 3. cap. 24. Nunc inquit chærefoliũ locis frigidis poſt Idus ſeratur, Idem autẽ prior Columella prodidit,

chærephyllum

Chærephyllum itemq; olus Atriplicis circa Calen. Octobris obrui debere, non frigidißimo loco &c. Plinius lib. 19. cap. 8. fine de eodem sic dicit. Rursus alio comitatu æquinoctio autumni, seruntur coriandrum, anethum, atriplex, malua, lapathum, chærephyllon, quod pæderota græci uocant, & acerrimum sapore, ignei effectus, ac saluberrimum corpori Sinapi, nulla cultura, melius tamen planta tralata. Ex hoc itaque Plinij loco, autorem horum uersuum deceptum puto, & ad chærefolium acrem ac igneam uim retulisse, quam ad sinapi retulit Plinius. Nam reuera non igneam ualde, sed calidam utique uim chærephyllum habet, in tantum uelut reliqua apij genera, ut urinam moueat, uelut Galenus testatur. Porrò medicamenta quæ hic de chærephyllo produntur, neq; apud Plinium, neq; apud ullum aliquem autorem græcum reperio, ut suspicio sit mihi, uel hunc locum ex Plinio intercidisse, uel ex Plinio illo recentiore & longè post Galenum autore hæc omnia transsumpta esse, nam hic hæc uerba de ipso tradit, si modo inscriptio non mentitur autorem. Chærephyllum igneam & acrem uim habet, quæ canceratis medetur, lateris dolores ex uino mitigat. Quidam illud oleo incoctum acopis ad soluendam frigoris iniuriam miscuerunt. Ex aqua mulsa pituitam resoluit. Ex aceto lumbricos et tæ nias, (sic enim legendum esse suprà docui) perimit.

Plinius recentior.

urinam ciet, menstrua pellit, tritum cum cera et aeungia uetere, parotidas discutit &c. Ex hoc itaq; Plinio hi uersus transscripti sunt, Sicut totus ille recens Plinius uel ex Plinio uero contextus est, uel ex eodem uis ignea & acris à recenti Plinio, siue quocunq; alio eius operis autore, Chærephyllo adscripta est, quæ uelut dixi ad sinapi, non ad Chærephyllum pertinet, uelut apparet palam uerba Plinij expendentibus.

Si trito tegitur pecten) quædam exemplaria pectus falsò habent, quum ineptus sit pectoris locus, ad urinæ meatus reserandos.

DE CORIANDRO CAP. XXIII.

Frigida uis herbæ coriandri dicitur esse,
Austeræq; simul quiddam uirtutis habere
Hancce Galenus ait, per quam depellere uentre,
Lumbricos tineasq; solet, si trita bibatur
Cum uino, uel si mixto sumatur aceto.
Vua cum passa coriandrum, melq; iugatum,
Sedabunt uarios superaddita trita tumores,
Præcipuè testes tumidos iuuat hoc medicamen.
Illius semen uentrem stipare solutum
Fertur aquæ iunctum, fuerit si sæpius haustum.
Argenti spumam cerussæ contere mixtam,
His tritis, succum coriandri iunge, & acetum,
Quatuor his roseum miscendo iugabis oliuum.

Istu

Ista terendo simul preciosum conficis unguen.
Quo sacros ignes pellas, calidosq; tumores.
Si tibi difficilis confectio tanta uidetur,
Succus cum solo prodest conmixtus aceto.
At si frumenti panis mundißima mica
Iungitur huic succo, sedat quemcunq; dolorem.
Huic succo si iuncta fabæ sit sola farina,
Et superaddatur scrophis, medicabitur illis.
Et cedet feruens emplastro pustula tali.
A multis scriptum legitur, febris ante tremorem
Si tria grana uoret coriandri seminis æger,
Euadet febrem cui dat lux tertia nomen.
Præstat idem lectum coriandrũ mane, priusquam
Sol surgat, ceruicali si subditur ægri.
Xenocrates scripsit totidem cessare diebus
Menstrua, quot mulier coriandri grana uorabit.
Aßiduum quidam contemnant illius usum,
Nempe putant mortem, quẽuisue parare dolorem.

Totũ hoc caput ex Diosc. ac Plinio transscriptũ est. Gale. porrò negat rectè à Dioscoride frigefactoriã uim coriãdro adscriptã esse, Cõpositũ est enim inquit, ex cõtrarijs facultatib. multũ habens substãtiæ amaræ, quæ tenuium partium est ac terrea, nec parum etiam aquosæ humiditatis facultate tepidæ, habetq; insuper modicã uim astringendi, ex quibus omnibus uarij effectus ipsius consequuntur, quos

Galenus cõtra Dioscoridem.

etiam Diosco. scripsit, non tamen ex eo solum quòd frigidum existat. Et paulò post. Quod autem procul ab eo absit ut frigefaciat, etiam ex his quæ Dioscor. scripsit discere licet. Strumas itaq; ait ipsum dissoluere cũ faba fresa. Quod autẽ nullũ ex frigefactorijs pharmacis strumas dissoluere sufficiens sit, neq; ipsum Dioscoridem dubitare putò, quum infinita prodiderit medicamẽta strumas sanantia, quæ omnia in confesso est esse temperamentis calida, & efficatia discussoria.

Strumarũ medicamẽta.

DE ATRIPLICE. CAP. XXIIII.

INfrigidare gradu primo, humectare secundo
Attriplicem dicunt: eius mollit cibus aluum.
Duricias soluit uarias, clauisq; medetur,
Emplastrum crudæ, uel coctæ si superaddas.
Hocq; superpositum scabros citò detrahit ungues.
Ignibus & sacris dicunt sic posse mederi.
Attriplicem tritam cum nitro, melle, & aceto,
Dicunt appositam calidam sedare podagram.
Ictericum dicitq; Galenus tollere morbum
Illius semen cum uino sæpius haustum.

Infrigidare gradu primo.) Et hic in uoce Infrigidare, secundam syllabam natura longam corripuit. Cæterum uires atriplici adscriptæ ex Dioscoride & Plinio sunt transsumptæ. Verũ quòd clauis mederi

mederi ut eius emplastrum, Diosc. φύγεθλα & φύγεθλα. Plinius panos pro clauis dixerunt. Sunt autem claui duriciæ callosæ ad similitudinem claui, græci ἧλους et τύλους appellant. φύγεθλα autē pani sunt. At uerò quòd Galenum dicere ait, Atriplicis semen tollere morbum regium siue ictericum, Galenus lib. 6. simp. Phar. habet. Sed tamen hoc etiam prior Dioscorides tradidit, quem uelut declarans Galenus, Semen ipsius inquit, extersoriam uim habet, unde etiam ad ictericos ex hepatis obturatione utile existit. Verum in greco exemplari pro hepatis uoce falsò legitur φλέγματος, id est pituitæ.

Pani. Claui. ἧλοι. τύλοι.

Galenij locus emēdatus.

DE ANETO. CAP. XXV.

A Medicis calidū, siccumq; refertur anethū.
Et dicūt q sit gradus huic in utroq; secundus.
Lac dat abundanter eius decoctio sumpta
Nutrici: stomachiq; solet depellere morbos
Tres cyathos eius tepide si sumpserit æger.
Indicio ructus sit, qui demonstrat apertum
Os stomachi, uentumq; per hoc exisse nociuum.
Atq; grauis tali sedatur nausea potu.
Prouocat urinas, obstantia quæq; repellens.
Matricemq; iuuat bene si foueatur eadem.
Cum tepida tritum patiens si potet anethum,
Intestinorum curat, uentrisq; dolorem.
Hoc etiam potu digestio tarda iuuatur,

Vnde minor fieri uis egestiua uidetur.
Aßidue bibitum uisum nocet, & genitale
Claudit iter, siccans humorem seminis intus.
Vuam si nimio turgens humore grauetur,
Suspendit puluis combusti seminis eius
Appositus digitis, aut intus clystere fusus.
Acrior esse cinis radicum dicitur eius.
Rodit crescentes nimis hic in uulnere carnes.
Vlcera quæ serpunt, & sordida uulnera curat.
Vlcera præcipue membri curare uirilis
Dicitur iste cinis infusus sæpius illi.
Olfactu reprimit singultum semen anethi,
Assatum & feruens si sæpius olfacit æger.
Dicunt feruores oculorum tollere posse
Eius radices tritas prius, appositasq;.
Apponas hæmorroidis si semen anethi
Vstum, curat eas, & condydomata soluit.
Flos oleo si decoquitur medicabile reddit.
Illud præcipue natis de frigore causis
Prodest, & capitis compescit sæpe dolorem.
Neruorum laxat tensuras, frigora pellit.

Appositus digitis, aut intus clystere fusus.) Hoc est uel per digitum appressus, uel per instrumentũ fusorium inspersus aut insufflatus: pro tali enim instrumento hic Clysterem dixit, quanquam mediam eius uocis syllabam præter naturam corripuit. Ad

Clyster.

eundem

eundem modum paulò post ait: cinis infusus illi, pro inspersus, uirili scilicet membro. Nam inter cætera medicamenta, ad humidum glandis ulcus, anethum ustum inspersum, & cucurbitam siccam ustam inspersam, Galenus lib. 5. Methodi fine probat. Porro de hæmorrhoidibus & condylomatis in comment. medicis abunde docuimus. & uide Aëtium à nobis conuersum, sermo. 24. cap. 3. 4. & 5. Anetum ustum.

DE ROSA. CAP. XXVI.

Dici flos florum nobis rosa iure uidetur,
Quòd specie cunctos præcedat, odoreq; flores,
Non tamen hæc tantū specie, nec odore iuuare
Nos ualet, at uarijs nos adiuuat illa medelis.
Eius sicca gradu uis est & frigida primo.
Compescit sacrum, si trita apponitur, ignem.
Sic quoq; si stomachus calet aut præcordia, sedat.
Fluxum matricis cum uino stringit & alui.
Illius succum collyria plurima quærunt.
Et siccæ puluis morbis bene subuenit oris.
Infrictus per se tantum, cum melleue mixtus.
Omnes feruores superaddita trita coërcet
Ipsa recens, uel si cum malsa trita bibatur.
Ex hac conficitur oleum, roseumq; uocatur,
Diuersis morbis, & multis utile causis.
Si bibitur, uenerem mollit, stomachiq; calorem
Extinguit nimium, bene si foueatur eodem.

Et dolor & feruor capitis curabitur illo.
Permiſcendo illi ſi forte iugatur acetum,
Expurgat ſordes, uulnus repletq́; profundum.
Et combuſturis præclare ſubuenit ignis.
Ore diu tentum dentis ſedare dolorem
Dicitur, & duras palpebras reddere molles.
Aufert ſuppoſitum pruritus interiorum.
Hyſtericis uarijs ualet & ſuccurrere morbis.
Hoc oleum quoniam uariatur conficiendo,
Dicam Palladius quid ſcripſerit inde peritus.
Quod rubrum fuerit foliorum ſumito floris,
Vncia ſit purgatorum iungatur oliui
In libra, uitreo ſic claudens omnia uaſe.
Sub phœbo tantum ſeptem ſuſpende diebus,
Inde medelarum narios ſeruetur ad uſus.

Aufert ſuppoſitum pruritus interiorum.) Hoc ex Dioſco. uelut etiam reliqua tranſſcripſit, qui ait oleum roſaceum ad inteſtinorum pruritus & irritamenta utiliter infundi, itemq́; ad uterum, quare malim infuſum, hoc eſt ἐγκλυζόμενον, pro ſuppoſitum legere. Sed & hoc loco ſtericis pro hyſtericis legebatur, de quo aliàs dixi. Deſcribit mox olei roſacei preparationem ex Palladij libr. 6. cap. 15. Ego tamen malim Dioſcoridem in hoc præparãdo ſequi, ſi modo eos uſus quos Dioſcorides docet, præſtare debeat.

Oleum roſaceum.

DE

DE LILIIS. CAP. XVII.

Aureolas (ut credo) rosas, argentea debent
Lilia iure sequi, quæ nec specie, nec odore
Cedere creduntur, roseo collata decori,
Nec minus in multis hominum sunt apta medelis.
Eius radicis bulbus, quæ lilia profert,
Sub prunis coctus iuncto quoq; tritus oliuo,
Prodest usturis mire superadditus ignis,
Et melius roseum sibi si iungatur oliuum.
Duras matrices mollit si subditur idem.
Elixis eius folijs, cataplasmate facto,
Mollescunt nerui, combustaq; membra iuuantur.
Sicq; superpositus morsus curabitur anguis,
Aut si cum uino bulbus potabitur ipse,
Sic quoq; fungorum uetat ille uenena nocere.
Hunc uino coctum tritumq;, pedum superadde
Clauis, nec soluas nisi cum lux tertia transit.
Pingui porcino si decoquis hunc, uel oliuo,
Reddere posse pilos membris narratur adustis.
Cum uino potum nocuum purgare cruorem
Per uentrem dicunt, & sic prodesse lieni.
Sicq; iuuat uuluas, sic idem menstrua purgat,
Vel si cum uino ueteri coctum superaddas.
Præcisis neruis tritus cum melle medetur.
Expressus succus foliorum mixtus aceto,
Et melli coquitur, sic mellis, sint & aceti

Vt geminæ partes, prædicti quinq; liquoris.
Ad desiccandas nihil est magis utile plagas,
Inq; cicatrices ducit, licet inueteratas.
Elixus bulbus, & cerotis benè mixtus,
Rugas distendit uultus, maculas fugat omnes.
Lichenas purgat, faciem quoque surfure mundat.
Exprimitur succus de tritis floribus eius,
Qui uuluas mollit, cum lana subditus illis.
Illitus asseritur sudorem posse mouere.
Turgida maturat, pus concoquit, & citò purgat.

Aureolas ut credo rosas argentea debent.) Quædam exemplaria laurosas habent, quædam aurosas. Sed uera lectio est Aureolas, ut relatio ad argentea fiat. Radicis porrò bulbū dicit. Nam radices quæ pelliculis ac inuolucris integuntur, bulbi appellantur, qualis est liliorum, croci, & narcißi, & similium. Aëtius etiam bulbū anethi et abrotoni radicem appellat. Ab eadem similitudine, Paulus libr. 3. cap. 22. totum oculi corpus unà cum tunicis ac humoribus suis, bulbum appellat, ita etiam lib. 6. cap. 8. & 27. Aliàs Bulbus cepæ genus est, in Libya proueniens ad similitudinem scillæ, Venerem stimulans. Vnde dixit Martialis.

Bulbi radices.

Bulbi oculi.

Quum sit anus coniunx, quum sint tibi mortua membra, Nil aliud bulbis quàm satur esse potes,

Bulbus cæpe genus.

Postremus uersus in quibusdam exemplis sic legitur:

gitur: Turgida maturat, primò coquit, et citò purgat. Sed uera est lectio, quam restituimus, pus concoquit. Sic enim Plinius hunc locum habet, cuius uerba item corrupta adscribam integra, quomodo aliquando in emendata à nobis Plinianorum librorum medicorum lectione, legendum esse comprobabimus. Succus qui expressus est, ab alijs phaselinum, ab alijs Sirium, ad emolliendas uuluas, sudoresq; faciendos, et suppurationes concoquendas.

Plinij librorũ medicorũ lectio emendata per Cornarium.

DE PAPAVERE. CAP. XVIII.

Dicunt uim gelidam siccamq; papaueris esse.
Tres illi tribuunt species: flos unius albus,
Alterius roseus, pallensq; rubensq; minoris
Flos est: hanc uulgò dicunt agreste papauer.
Cunctis nobilior flos est, qui innascitur albus.
Ex huius teneris faciunt opium capitellis,
Incisa leuiter summa cute, lacq; quod inde
Defluit, excipiunt cochleis, siccumq; reseruant.
Antidotis multis aptum, uarijsq; medelis.
Sunt qui contundunt cum lacte suo capitella,
De quibus expressum siccant in sole liquorem,
Post primum succus uires habet iste secundas.
De specie uerò roseos quam gignere flores
Dixi, conficiunt oleum de semine tunso,
Non modicum gustu iucundum, somniferumq;.
Tertia cui flos ipse rubens, semenq; nigellum.

Praestat

Præſtat, ſi bibitur, reliquarum more ſoporem.
Elixatura tepida cuiuslibet harum,
Aeger ſi foueat faciem, uel ſi bibit illam,
Optatum capiet, niſi mors ſit proxima, ſomnum.
Sperma nigri bibitum cum uino, ſtringere uentrē
Dicitur, hocq; modo fluxus inhibet muliebres.
Somnum dat bibitum, tuſsim compeſcit iniquam.
Pondere denarij debent hæc ſemina ſumi:
Nam plus lethargum, uel mortem ſæpius infert.
De folijs eius tritis factum cataplaſma,
Eximie fauces dicunt curare tumentes.
Quosq; uocant ſacros extinguere dicitur ignes.
Frigore, uel cantu, potuúe, ciboúe, uel æſtu,
Aſpera ſi fuerit uocalis reddit auena,
Appoſito tali fiet medicamine lenis.
Candida miconi ſpecies (ſic nempe uocari
Græcorum lingua dicunt quodcunq; papauer)
Longe nobilior eſt, utiliorq; duabus.
Tunc cum lacte fluunt capitella papaueris huius,
Lecta coquantur aqua, cui ſit pars tertia mellis
Addita, cuncta coquis, donec decoctio ſpiſſa
Sit quaſi mel, uarios ſic conſeruetur ad uſus.
Sumpta facit ſomnum, tuſsim fugat, abſtinet aluum.
Vocalis uenæ bene reumatiſmata ſiccat.
Eiuſdem teneris opium factum capitellis,
Sicut iam docui, roſeo miſcebis oliuo,
Vnge caput mixtis, ſedabitur his dolor omnis.

Et ſolet hoc unguen ſomni præſtare quietem.
Prædictis admiſce croci redolentia fila,
Auris curabis hæc infundendo dolorem.
Hoc quoq; fœmineo cum lacte crocoq; ſubacto,
Vngento calidam poteris ſedare podagram.
Ano ſuppoſitum ſolet hoc adducere ſomnum.
Illud idem ſolo præſtare uidetur odore.

Excipiunt cochleis.) Id eſt cochlearum teſtis, hoc eſt μύαξι, uelut Dioſcorides ait, Sunt autem μύακες conchæ ac cochleæ, ipſarumq; teſtæ. μύακες. Cochleæ.

Vocalis uenæ bene reumat. ſoluit.) Vocalem uenā ipſam aſperā arteriā dicit, Dioſc. enim ad ῥευματισμοὺς ἀρτηρίας facere dixit. Sicut autem arteriæ appellatio ad uenas pulſatiles tranſlata eſt, ut arteria ſimpliciter dicta, de uena pulſum edente accipiatur, & arteria aſpera dicta, de fiſtula ſiue cāna ex pulmone in laryngē emergēte integallitur, Ita etiā Venæ appellatio uiciſſim ab his quæ ueræ uenæ ſunt, ad ipſam arteriam aſperam tranſlata eſt, ut arteria aſpera, uocalis uena appelletur. Vena uocalis. Arteriarum appellatio.

DE VIOLIS. CAP. XXIX.

NEc roſeus ſuperare decor, nec lilia poſſunt
Fragrantes uiolas ſpecie, nec ui, nec odore.
Dicitur humida uis illis, & frigida primo
Eſſe gradu, ſpecies tres eſſe leguntur earum.

Noſcere

Noſcere quas tantum diuerſo flore ualemus.
Nam ſunt purpurei flores, albiq́; nigriq́;.
Cunctis pene pares ſunt in medicamine uires.
Inflammata iuuant loca, tritas ſi ſuperaddas.
Crapula diſcutitur bibitis, capitisq́; grauedo
Olfactu ſolo, uel ſi caput inde coronas.
Anginis potæ medicantur aqua reſolutæ.
Purpuream uiolam dicunt curare caducos.
Præcipue pueros, ſi mixto ſumitur amne.
Radices uiolæ cum myrrha tunde, crocoq́;,
Hoc inflammatis oculis apponito nocte.
Contritis folijs uiolæ cum melle perunges,
Vlcera ſanabis capitis ſi iungis acetum,
Et cataplaſma facis, cedet collectio quæuis.
Illius curat elixatura tumorem
Matricis, tepida ſi ſæpe fouebitur illa.
Ani fiſſuras, quas appellant ragadias,
Addita cærotis medicatur ſæpe perunctis.
Puſtula ſi fuerit, melli ſuperadde iugata.
Illius ſemen cum uino, menſtrua purgat.
Tritæ cummixto radices eius aceto,
Splen ſiccant bibitæ, uel ſpleni ſi ſuperaddas.
Hocq́; modo calidam dicunt ſedare podagram.
A ſtomacho coleram rubeam potata repellit
Herba uirens uiolæ, uel flos ſiccuśue, recenśue.
Morbos de colera rubea, uel ſanguine factos,
Mollibus in coſtis, aut in pulmonibus ipſis

Sedat

Sedat si mixto potabitur amne recenti.
Infantum tußim sic & suspiria sedat.
Ex uiolis oleum sicut de flore rosarum
Conficiunt, multis quod dicunt utile causis.
Auribus infusum, sonitum fugat atq; dolorem.
Et capiti prodest quocunq; dolore laboret,
Leniter infrigidans, corpusq; sopore resoluens.
Lumbricos necat infusum, bibitum, uel munctum,
Et capitis furfur oleo depellitur isto.
Os capitis ictu fuerit si forte plicatum,
In tantum, ut linguæ patiens amiserit usum,
Fac prius hunc uiolam cum uino sumere tritam,
Postea, si fuerit capitis pars dextera læsa,
Contritam plantæ pedis hanc adnecte sinistri.
Atq; è conuerso facias, si leua plicata est,
Os resilit, linguæq; die redit usus eadem,
Vt Iustus tradit medicus, qui talia scripsit. Iustus Medicus.
Altera uis uiolæ fertur mirabilis esse.
Albæ si uiolæ radix teneatur in ore,
Et transglutitus sit sæpius succus eius,
Vulneris immodicum tradunt mox sistere fluxum.
Hanc Glycyrrhizes tradit uim Plinius esse.

Purpuream uiolam dicunt curare caducos.) Caducos dixit comitiali morbo correptos, à symptomate accidēti ac casu. Cæterū Diosc. nō simpliciter hoc de purpurea uiola tradit, sed de parte ea quæ in Caduci.

flore

flore purpurea existit, uel purpurascit, habet enim τὸ πορφυρίζον τοῦ ἄνθους, id est quod purpurascit in flore, & uidetur accipiendum esse de altero flore, qui in medio uiolæ instar capillamentorum inest. Sunt enim quidam flores διανθεῖς, ut Theophrastus ait, id est duplicis floris, qui alterum florem in medio habent, uelut rosa, & lilium & uiola nigra. De hoc itaq; flore Diosco. testatur, quòd quidam ipsum cum aqua potum anginis, & comitialibus puerorum morbis, auxiliari dicunt.

διανθεῖς flores.

Ani fissuras quas appellant rhagadas.) Rhagadum uoce etiam Plin. subinde utitur, aliquando etiã ani rimas & fissa appellat Græci, et ῥήξεις & ῥαγάδας indifferenter dicunt. Hic tamen rhagadas dixit, nec conueniente uersui satis uoce.

ῥαγάδες ῥήξεις.

Os capitis fuerit si forte plicatum.) Plicatum, id est in plicas coactum & constrictum. Verum qui fuerit Iustus Medicus, qui hoc medicamentum prodiderit, non satis constat. Porrò ultimus uersus de glycyrrhizes ui, est apud Plin 22. cap. 9. sed ad scriptitius apparet, potestq; adesse uel abesse, quum hic de glycyrrhiza nõ tractet. legebatur tamen uulgato more. Hancq; liquiritiæ &c.

Iustus Medicus.

MACRI AVT POTIus incerti autoris De plantis uulgaribus. Liber II.

DE

DE ALTHAEA. CAP. I.

ALthæam maluæ ſpeciem nullus negat eſſe.
Althæamq; uocãt illã, quòd creſcat in altũ.
Hanc ipſam dicunt euiſcum, quòd quaſi uiſco
Illius radix contacta madere uidetur.
Agreſtisq; ſolet à multis malua uocari.
In mulſa coctus flos eius uulnera purgat,
Vel ſi cum uino tritum florem ſuperaddas.
Spargere ſic ſcrophas, anumq; iuuare dolentem
Dicitur, hocq; modo conquaſſatis medicatur.
Elixata prius radix, adipiq; terendo
Addita porcino, terebinthinæq;, tumores
Matricis curat, reliquosq; leuare dolores
Dicitur, illius neruos ſic ipſa relaxat;
Rumpit uel ſpargit ſic apoſtemata dura.
Omnes has cauſas elixatura iuuabit,
Si loca morborum foueantur ſæpe tepenti.
Atq; dyſentericis radicum coctio ſumpta
Cum uino, fluxum ſtringens compeſcit eorum.
Et pellit tardas hæc coctio ſumpta ſecundas.
Et prodeſt æmoptoicis, lapidesq; repellit.
Veſicæq; ſolet uarijs ſuccurrere cauſis.
Acri cum uino contritum ſemen, oliuo
Iungito, deformes maculas hoc unguine pelles.
Cum puſca potata poteſt obſtare uenenis.
Elixata prius, cum melleq; trita, replebit

Vulnera quæ caua sunt, si sit superaddita sæpe.
Sic quoq; duricias mollit, lenitq; rigores.
Decoctis oleo folijs factum cataplasma,
Quosuis pestiferos morsus, combustaq; curat.

ἀναδενδρομαλάχη.
Malua mascula.
Bis malua
Hibiscũ.

Quòd Althæa maluæ agrestis species sit, Diosc. & Galenus palam asserunt. Galenus eam etiam ἀναδενδρομαλάχην appellari ait, & Constanti. cæsar 15. capi. 5. de agricultura δενδρομαλάχην, & masculam maluam appellat. Vulgus medicorum bismaluam uocat. Radicem uerò altheæ hibiscum appellari, Aëtius serm. 12. cap. 31. itemq; Dios. ac Plinius testantur, quanquam hi ambo totam plantam hibiscum uocari tradant, de qua etiam Virg. ecloga secunda sensit, quum ait: Hædorumq; gregem uiridi compellere hibisco. Germani Ibisch uocant, hibisci appellationẽ sequentes. Quòd uero Althæa dicta sit, quia in altum crescat, & quòd euiscum uocetur, quòd quasi uisco radix eius madeat, neutrũ uerum est. Nam ἀλθαία uox græca est, neq; latinum etymon ferre potest. Quare græcam orignationem omnino habet, et nominata est διὰ τὸ πολυαλθὲς καὶ πολύχρηστον, uelut dios. ait, id est multiplicem utilitatem, ac medicinæ ipsius usum multijugum. ἀλθαίνω enim medeor significat. Hibiscum autem ueterem latinam appellationem esse puto, nec de [illegible] cõstat. Certè qui Euiscũ appellarunt,

Althæa unde dicta.

appellarunt, ad uiscum & radicis ipsius uiscositatem respexerunt, sicut quoq; qui Maluauiscum siue malueuiscum eandem dixerunt. Maluauiscus.

Et pellit tardas hæc coctio sumpta secundas.) Hoc est morantes, et non ut solent, post partum insequentes. uocantur autem δεύτερα græcis, secundæ, & secundi partus uulgò, uelut suprà commemoraui. Vide caput de pulegio. At uerò poscam acetum aqua dilutum, hoc est ὀξύκρατον dixit, quidã tamen uinum aqua dilutum accipere pro poscam siue puscum malunt. Reliqua satis nota sunt, & constant. Secundæ morantes. Posca. ὀξύκρατον.

DE VRTICA. CAP. II.

GRæcus Acalephen, nos urticam uocitamus:
Feruida non modicè uis illi dicitur esse.
Vnde nec immerito nomen sumpsisse uidetur,
Tacta quòd exurat digitos urtica tenentis.
Hæc solet ictericos cum uino sumpta iuuare.
Illius semen colicis cum melle medetur,
Et tussim ueterem curat si sæpe bibatur.
Frigus pulmonis pellit, uentrisq; tumorem.
Omnibus his prodest puluis cum melle iugatus,
Aut succus uiridis cum uino sæpius haustus.
Cum sale de folijs eius factum cataplasma
Vlceribus prodest, & uulnera sordida purgat.
Et contra morsus ualet hoc cataplasma caninos.
Hoc cancros, & parotidas, luxataq; curat.

Hocq; reformatur caro quæ discesßit ab osse.
Et solet humores hoc desiccare nocentes.
Acri cum uino radix contrita tumorem
Compescit splenis, podagræ sic subuenit illa.
Omnibus & morbis sic subuenit articulorum.
Omnibus his prodest superaddita, uel sibi iuncto
Sic quis hanc oleo, foueasq; hoc unguine membra.
Naribus impositus succus, foliúmue, cruorem
Elicit, innata est illi uis tanta caloris.
Quòd si manantem cupias retinere cruorem,
Vrticæ succo frontem line, reprimit illum.
Si supponatur cum myrrha, menstrua pellit.
Si claudit uuluam matrix, humore grauata,
Vrticæ folijs reuocabitur illa fricata.
Cum uino bibitum uenerem semen mouet eius,
Et melius tritæ, si iungas melq;, piperq;,
Et sic cum uino prædicto more bibantur.
Pleureticos, pectus, pulmones, adiuuat eius
Semen, si sumptum fuerit cum melle iugatum.
Cum mulsa bibitum lotium producit abundans.
Herba recens eius olerum si more coquatur.
Detur & illius decoctio, molliet aluum.
Ore diu clausus succus si uoluitur eius,
Vuæ non modicum poterit sedare tumorem.
Sudorem mouet ex oleo decocta perunctis.
Si quadrupes quæcunq; marem perferre recusat,
Vrticæ folijs illius uulua fricetur;

Sic

Sic naturalem calor excitat ille calorem.
Defluuium capitis, si succo seminis huius
Vngas sæpe caput, reprimit doctore Galeno.
Illius semen collectum tempore meßis,
Et desiccatum, multis erit utile causis.

Vrticam ab urendo dictam esse, non dubitandum puto. Græcis certe κνίδη, à prurigine, quam contacta ciet, appellata est. κνίζειν enim uellicare significat. ob eandem rationem etiã ἀκαλύφη dicta uidetur ab Atticis, quòd iniucundus sit eius contactus, hoc est ὅτι ου καλὴν ἔχει ἀφήν. Medicinæ porrò ex Plinio et Dios. sunt transsumptæ. In uocibus parotidas, & pleureticos, quantitas in syllabarum moris non est seruata. Vrtica unde. κνίδη. ἀκαλύφε.

DE PLANTAGINE CAP. III.

HErbam quæ nostra lingua plantago uocatur,
Hãc Arnoglosson græcus uocat, est quia lin (guæ
Agninæ similis folijs. Plantaginis huius
Sunt geminæ species: & maior prima uocatur,
Altera uero minor, quam uulgò lanciolatam
Dicunt, quòd folijs ut lancea surgat acutis.
His infrigdandi, desiccandiq; notatur
Tertius esse gradus. maiorem uim tamen esse
Maiori dicunt. nimis humida uulnera siccat
Si superaddatur cum melle, & sordida purgat.

Cum sale sicut olus si iuncta coquatur aceto,
Ventrem restringit nimium sic mansa fluentem.
Si supradictis lens sit concocta, iuuabit
Hicce Dysentericos cibus, idem cœliacosq;
Stringit manantem superaddita trita cruorem.
Et nigris maculis fertur reparare colorem.
Qui cum lachryma mire medicatur adustis.
Sola canis morsum curat, sedatq; tumorem.
Et scrophas spargit superaddita cum sale trita.
Hydropicis ut olus decocta, comestaq; prodest.
Sic iuuat Asthmaticos, ferturq; iuuare caducos.
Sordida purgabit bene uulnera quælibet oris,
Ore diu tentus si succus uoluitur eius.
Hic intus fusus curat syringia succus.
Et dolor hoc auris sedabitur, & sacer ignis.
Fert hæmoptoicis hic opem, si sæpe bibatur
Per se, fortior est si sit coniunctus aceto.
Sicq; iuuat phthisicos. iniectus uerò per anum,
Stringit non modicum fluxumq; dysentericorum.
Pellitur ex oculis tumor hoc, feruorq; perunctis.
Sæpius hanc ipsam si dentibus atteris herbam,
Gingiuas reprimet tumidas, & sanguine plenas.
Sicq; solet dentis compescere sæpe dolorem.
Succus cum lana matrici subditus eius,
Stringit manantem nimium siccando cruorem.
Cunctis prædictis eius decoctio causis
Prodest, & potus cum uino seminis huius,

Vesicæ,

Vesicæ, renumq; iuuat potando dolorem,
Dicunt non nasci scrophas gestantibus eius
Radicem collo suspensam, uis ibi tanta est.
Radices eius tres contere, iungito tritis
Vini tres cyathos, et aquæ, sic sit modus idem:
Hæc nondum tremulo potanda dabis febrienti:
Sic pelles febrem cui dat lux tertia nomen.
Bis binæ quoq; quartanis prodesse putantur,
Cum totidem uini cyatis si dentur, & amnis.
Cuncta potest plantago minor prædicta iuuare,
Quamuis non tantas uires uideatur habere.
Præcipue succus curat plantaginis huius
Quod iuxta nares uel lumina nascitur ulcus,
Si superaddatur cum lanis mollibus illi,
Perq; nouem cataplasma dies istud renouetur.
Eius si succo tepido uenter foueatur,
Acri depulso sanabitur ille dolore.
Lumbricos succus depellere dicitur eius,
Si porcina uetus axungia iungitur illi.
Sedabit duros istud cataplasma tumores.
Parotidas uulnusq; recens hoc adiuuat unguen.
Ante duas horas quartanæ quàm tremor ægrum
Vexet, si succum biberit plantaginis huius,
Sentiet eximiam facili medicamine curam.
Eius potatum depellit sperma secundas.
Si uia longa pedum mouet (ut fit sæpe) dolorem,
Acri cum uino superaddita trita iuuabit.

Cum passo succus bibitur si sæpius eius,
Vesicæ uarijs fertur succurrere morbis.
In desiccando uis est plantaginis ingens
Maioris, queat ut (ueluti cauteria) corpus
Appositum siccare, refert ut Plinius author.
Composuit librum Themison de uiribus eius,
In quo præclaris celebrauit laudibus illam.

His infrigdandi desiccandiq; &c.) Infrigdandi pro infrigidandi uersus gratia dixit, quædam exemplaria inflammandi habent, sed falsò. Nam frigida & sicca est plantago, secundo gradu à medijs, ut Galenus & Paulus habent. Hic tamen tertium gradum eis adscribit.

Hicce dysentericos cibus, idem cœliacosq;.) Et hic uersus antea corruptè legebatur sic: Hic dysentericos melius cibus & ciliacos.

Themison Composuit librum Themison.) Themison hic Asclepiadæ auditor fuit, ex Laodicea oriundus, et ab Asclepiade ad Methodicæ sectæ inuentionem desciuit, quam postea Thessalus Trallianus absoluit. contra quos Galenus methodi libros conscripsit.

DE PVLEGIO. CAP. IIII.

Feruida pullegij uis, siccaq; dicitur esse
Tertiꝰ à medicis datꝰ est gradꝰ huic ĩ utroq;.
Sæpius hanc herbam ꝗ ĩ prægnans sumit, abortit.

Menstrua

Menstrua deducit cum uino sumpta tepenti.
Hocq; modo tardas hæc extrahit herba secundas.
Hoc nomen quia non notum reor esse quibusdam,
Exponam tali quid nomine significetur. Secunda quid sit.
Vt nondum natus testa circundatur oui
Pullus, sic infans matris uestitur in aluo
Quadam pellicula matris de semine facta,
Quam nascens rumpit quasi testam pullulus oui,
Istas pelliculas medici dixere secundas,
Quòd mox expositos naturæ iure sequantur.
Hæ si plus iusto, uitio cogente, morantur,
Aut mors subsequitur, dolor aut qui uix tollen-
Istas pullegium prædicto more repellit. (tur.
Cum sale contritam melli si iunxeris illam,
Vnguine contractis potes hoc succurrere morbis.
Illius puluis sumptus cum melle uel haustus,
Pectoris humores uiscosos extenuare,
Et per sputa potest illos educere mirè.
Nausea, uel morsus stomachi curabitur illa
Cum pusca sumpta, uel aceto quod sit aquosum.
Cum uino nigram coleram potata repellit.
Sicq; uenenatis serpentum morsibus obstat.
Si per uim febris, nimioúe fluore cruoris,
Aut aliquo casu subito defecerit æger,
(Quod solet à doctis medicis malefactio dici)
Pullegium ualido tritum iungatur aceto,
Naribus ægroti sic apponat[illegible]r, odore

Solo confestim dicunt releuare iacentem.
Gingiuas sicci puluis confirmat, & usti.
Appositam uiridem dicunt sedare podagram.
Et quosuis alios solet emendare tumores,
Si superaddatur tepidæ permixta polentæ.
Addita cærotis, papulas de corpore tollit.
Spleneticis multum superaddita cum sale prodest
Elixatura, si quisquam sæpe tepenti
Illius abluitur, pruritus non patietur.
Et sic matricis poteris curare tumorem.
Tußim compescit cum uino sumpta tepenti.
Et sic urinam compellit reddere largam.
Et magis, ex uino si sit decoctio facta,
Aut oleo mixtam contritam si superaddas.
Si radix acri contrita iugatur aceto,
Sedabit quosuis superaddita sæpe tumores.
Obstat serpentum cum uino sumpta uenenis.
Et sic assumptum, uenerem stimulare fatentur.
Sic quoq; pulmonis prodest, iecorisq; querelis.
Et sic nutrici sumptum, lac præbet abundans.
Herba uirens curat morsus cum melle caninos
Si superaddatur, & uino mixta bibatur.

λειποθυμία. Quod solet à doctis Medicis malfactio dici.)
συγκοπή. Nondum comperi qui sint medici illi docti, qui malfactionem dicant, pro animi deliquio ac defectu. quam græci συγκοπὴν ac λειποθυμίαν uocant.

Non

Nam nihil aliud eum dicere, quàm pulegium reuocare eos qui in animi deliquium inciderint, ſi naribus cum aceto admoueatur, Dioſcorides indicat, qui de hoc hæc uerba prodit. λειποθυμοῦντάς τε ἀνακτᾶται σὺν ὄξει ταῖς ῥισὶ προσφερομένη. Id eſt, animo defectos refocillat cum aceto naribus admota. Quòd autem malfactio præcipitem hãc uirium collapſionem & animi deliquium ſignificet, latina uel alia aliqua lingua nondum compertum nobis eſt. Pandectarum medicarum autor, hãc uocem apud Galenum ad Glauconem eſſe dicit, fortè à barbaro quodam interprete pro lipothymia uſurpatam. Malfactio

DE HYSSOPO. CAP. V.

Hyſſopum eſt ſiccum, calidũ quoq;, tertius illi
Eſt in utroq; gradus: eius decoctio facta
Sic, ut cocta ſimul ſint mel, ficus quoq; ſicca,
Prodeſt non modicum patientibus hauſta catarrhũ.
Subuenit & uoci raucæ uerſata palato.
Et prodeſt cunctis pulmonum ſumpta querelis.
Lumbricos uentris eadem potata repellit.
In pectus, capitis ſi diſtillatio fiat,
Quæ perſæpe ſolet tuſsim, phthiſimq; creare,
Prodeſt hæc eadem decoctio ſumpta frequenter.
Omnibus his prodeſt puluis cum melle iugatus.
Contrito uiridi ſi iungitur oxymel illi,
Sicq; datur bibitum, ſtipatum molliet aluum.

Cum uento nocuo uiſcoſum phlegma repellens.
Cardama ſi iungas, his ſolues fortius aluum.
Potio ſi uiridis uel ſicci ſæpe bibatur,
Vultibus eximium fertur præſtare colorem,
Cum nitro & ficu ſicca ſi conteris ipſum,
Et ſuper apponas ſpleni cataplaſma tumenti,
Hydropicusue, ſolet ſiccando repellere morbum.
Cum uino bibitum præcordia tenſa relaxat,
Et quicunq; nocet tumor interiora, recedit.
In quo decoquitur ſi dens foueatur aceto,
Fertur ab immodico cito ſæpe dolore leuari.
Accenſi fumo ſonitus compeſcitur auris.
Elixum appoſitum humores lympidat omnes.
Sic iuuat ictericos iniectum naribus idem.
Auriculæq; grauem dicunt curare dolorem,
Hoc mixtum roſeo ſi fundas intus oliuo.

Prodeſt non modicum patientibus hauſta catarrhum.) Tria deſtillationis humorum à capite genera, commum catarrhi appellatione dici ſolent. Verum delabente ad nares humore propriè κορύζα uocatur, hoc eſt grauedo. Si uerò in os delabitur, ac mox in arteriam ac pulmonem, βράγχον græci uocant, nos raucedinem. Si autem in os delapſus humor, fauces et gulam, indeq; uentriculum petat, κατάῤῥους & ῥεῦμα, id eſt deſtillatio & fluxus malum appellatur. Ad omnes autem deſtillationes commodat

κορύζα. Grauedo. Βράγχος. & ῥεῦμα.

modat hyssopum, eo modo quem hic ex Diosco. ac Plinio describit. Quòd autem uersata palato dicit. accipiendum est de modo collutionis ac gargarissandi.

Cardama si iungas hic solues fortius aluum.) Cardama nasturtia dicit, Nam sic Diosc. habet. uehementius inquit, purgat ammixto nasturtio, aut iride, aut irione. Quædam tamen exemplaria cardamomo pro nasturtio habent, ob uicinitatem scripturæ utriusq; uocis, alteram pro altera, καρδάμωμον pro καρδάμου, supponi contingente. Diosco. locus.

DE PARATELLA, ID EST LAPATHO. CAP. VI.

Herba solet lapathi uulgò paratella uocari.
Illius species dicuntur quatuor esse.
Par tamen est fermè uis omnibus in medicina.
Omnibus est illis feruens, austeráq; uirtus.
Vnde quidem stomachum confortat sumpta, soletq;
In stomacho clausum per ructum pellere uentum.
Sumptaq; sicut olus fertur restringere uentrem.
Pruritus mordax, scabiesq; cutis laceratrix,
Illius tepido cedunt apozemate fota.
In uino coctæ radices et bene tritæ
Appositæ, schrophas compescunt, parotidasq;.
Eius sæpe tepens si coctio gargarizetur,
Vuas sedabit tumidas, dentisq; dolorem.

Atq;

Atq; dysentericis prodest hæc cœliacisq́;.
Pellitur hac tepida dolor auris si foueatur.
Decoctas ualido radices eius aceto,
Et tritas spleni superaddito sæpe tumenti.
Quemuis non modicũ reprimũt siccando tumorẽ,
Cum uino uel aqua radicum coctio facta
Menstrua restringet potu, lapidesq; repellet.
Hæc eadem iuuat ictericos, suspensaq́; collo
Illius radix, scrophas nasci prohibebit.

Paricella Parella. Lapathũ. Rumex.

Paratellæ uox uulgaris est & barbara, quanquã aliqui non paratellam, sed paricellam aut parellam hanc herbã uocitẽt, quæ græcis lapathi nomine appellatur, et latinis Rumex. Quatuor autẽ eius species esse omnes confitentur, Dios. Pli. Gal. Paulus. Cæterum quod hic dixit. Sumptaq; sicut olus fertur restringere uentrem. non ita omnino habet. Nam Diosco. palàm omnium rumicum olus coctum uentrem mollire tradit. Verum semen ipsorum adstringendi uim habet, ut & cæliacis & dysentericis conferat, ut de hoc dicere oportuit horum carminum autorem, & nõ de olere foliorum cocto. Atque hoc est quod Paulus ait. Contrariè quodammodo se folia ad semen habent. Illa enim exturbant aluũ comesta, hoc uero potum, ipsam sistit. Porrò in his uersibus syllabarum tempora in uocibus his non sunt seruata, in apozemate, in parotidas, in gargarissetur. Itẽ uersus.

uersus: Atq; dysentericis prodest hæc cæliacisq;, antea sic legebatur. Hoc dysentericos potui iuuat & ciliacos.

DE LOLIO. CAP. VII.

FRumentis nocuā Loliū Græcus uocat herbā,
Quam nostri dicunt uulgari more nigellam.
Cancros emundat, pascentia uulnera curat,
Cum raphano modicoq; salis superaddita trita.
Zernas & lepras cura compescis eadem.
Sulphure cum uiuo, purgamentisq; columbæ
Admisce lolium, semen quod lilia præbent
His iungas, hæc cocta mero superaddita scrophis,
Sic scrophas spargit, sic apostemata rumpit.
Duriciasq; alias emolliet hoc cataplasma.
Mulsa decoctum commixto thure, crocoq;
Apponas coxæ, ischias hanc si uexat iniqua.
Parturiens mulier si se suffumiget illa,
Asseritur citius uentris deponere pondus.

Nec græcis lolium, nec latinis Nigella appellatur hæc herba, cuius hoc loco uires recensentur. Sed lolium quidem uocatur hæc herba, sed latinis, græcis uero αἶρα. Nigellæ autem appellatio à uulgo quidem ad lolium refertur. Verum proprie μελάνθιον Nigella Latinis dicitur, eademq; etiam Gith Celso ac Plinio dicitur. At uerò lolium quod hic nigella uulgari more dici traditur, ob simi- Lolium. Nigella.

litudinem nigroris hanc appellationem nigellæ obtinuit uulgò, quum alias nihil cum uera nigella cõmune habeat, quod semen est odoratum, acris saporis ac nigrum, & ob id uulgò cyminum nigrum dictum, quum lolium sit nec acre, nec odorum, & maius etiam ac rotundius semen quàm uera Nigella est. De lolio itaq; Latinis appellato, & uulgò nostrati Radden uocato, hæc omnia quæ hic traduntur accipiẽda sunt. Et sanè omnia hæc ex Dios. transscripta sunt. Sed medicamenta ipsa inter se sunt confusa. Nam quod hic dicitur: Zernas et lepras cura compescis eadem. hoc Dioscor. sic habet. Impetigines feras & lepras cum sulphure uiuo & aceto curat. Zernæ autem barbaro uocabulo impetigines feræ appellantur, quæ etiam lichenes dicuntur. Quòd autem hic habetur. Sulphure cũ uiuo &c. idipsum apud Diosco. hoc modo legitur: Cum stercore autẽ columbæ & lini semine in uino cocta, strumas dissoluit, & quæ ægre maturescunt rumpit. Quare hoc loco Sulphur uiuũ ad precedẽtia pertinens, ad sequentia relatũ est. Et pro lini semine, semen quod lilia præbent falsò expressum. Deinde quòd hic legitur. Mulsa decoctam commixto thure crocoq; &c. apud Diosco. sic habetur. Ischiadicos cum aqua mulsa cocta & imposita iuuat. Cum polenta autem, aut myrrha aut croco aut thure suffita, conceptus adiuuat. Quare apud Dioscoriden. Thus & crocus

Zernæ. Impetigo fera Lichenos.

ad

ad suffitum addenda traduntur. Hoc autem loco, ad cataplasma coxæ ischiadicorum cum mulsa ammiscenda docentur. Atq; ego sanè thus & crocum, concoquendæ affectionis gratia, in cataplasma loliaceum cum mulsa rectè adhiberi puto. Inepte autem utrunq; ad suffitus addi, & propterea Dioscor. locum corruptum sic existimo restituendum, ut legas ἰσχιαδικοὺς δὲ σὺν μελικράτῳ ἑψεθεῖσα, καὶ Dioscori. locus.
καταπλασσομένε ὠφελεῖ σὺν ἀλφίτῳ, ἢ σμύρνε ἢ κρόκῳ ἢ λιβανωτῷ ὑπαθυμιωμένη δὲ συνεργεῖ ταῖς συλλήψεσι. Hoc est, Ischiadicos autem cum aqua mulsa cocta, & cum polenta, aut myrrha, aut croco, aut thure cataplasmatis modo imposita iuuat. Suffita uerò conceptus adiuuat. Hoc sanè modo apud Diosco. legendum esse iudico, quod ipsum etiam horum uersuum autor indicat, quanquam ex omnibus quæ cataplasmati ammiscenda Dioscor. tradidit, thus tantum & crocum transsumpsit. Sunt autem & polenta, & myrrha, itidem affectioni concoquendæ apta, neq; in suffitus apta. Per se quidem thus & myrrha suffitui apta sunt, quæ res errorem peperit, ut etiam reliqua in suffitus addenda esse putarentur, quum Dios. hoc ipsum non uelit, & quis nam polentam in suffimentum addat? hoc itaq; quũ Marcellus interpres Dios. animaduerteret, pro ἀλφίτῳ legendũ putauit ἀσφάλτῳ, id est, bitumẽ pro polenta. Sed uelut dixi, nihil

horum ad suffitus pertinet, sed ad cataplasma Ischiadi concoquendo. Postremum sicut suffitus folius lolij rectè hic præscribitur, ita mulierem inde citius uentris onus deponere, nescio unde author ipse dixerit, quum Dios. simpliciter habeat eo suffitu conceptus adiuuari, non partus accelerari.

DE CICVTA. CAP. VIII.

Frigida lethiferæ uis est immensa cicutæ.
Vnde necat gelidi potantes more ueneni.
Qui perit hac herba, cutis eius fit maculosa,
Vnde genus mortis ualet hoc per signa probari.
Publica pœna reis hæc esse solebat Athenis.
Hac sumpta magnus Socrates fuit exanimatus.
Qualiter hoc fiat non æstimo dicere nostrum.
Cum nil quod noceat, sed quod iuuat, est referendū.
Hac sumpta si quis morti sit proximus, herba,
Forte merum tepidum bibat, euadetq; periclum.
Sed quamuis potu solet hæc assumpta nocere,
Magnifice tamen appositu solet illa iuuare.
Vstiuas mire iuuat epiphoras oculorum.
Si frons contritis folijs sit operta uirentis,
Vel si sint eius circumlita lumina succo.
Hac quoq; pelluntur sacer ignis, & herpeta cura.
Tradit Anaxilaus, si succo sæpius eius
Virgo linat mammas, sibi cum turgescere primum
Incipient, modicas semper, stantesq; manere.

Lac

Lac contrita uirens mammis superaddita siccat.
Extinguit uenerem, fluxum quoq; seminis omnem.
Si pecten trita cataplasmes sæpius illa.
Argenti spumæ commiscens hanc, adipiq;,
Apponas calidæ cataplasma salubre podagræ.
Et per se tali multum prodesse probaui.
Singula quid memorem? nocuū quēcunq; calorem,
Apposita trita poteris curare cicuta.

Vstiuas mire iuuat Epiphoras oculorum.) ἐπιφοραὶ impetuosiores impreßiones sunt ac influxus humorum, ad quascunq; partes. Nam hæ ipsæ adijci solent. Sic habet Plinius epiphoras uteri, testium, oculorum, & aliarum partium. Et hunc locum ex Plinio, uelut reliquos transscripsit hic author, qui 25. cap. 13. sic habet. loquitur de cicutæ succo, præcipuus tamen est, inquit, ad cohibēdas epiphoras ustiuas, oculorūq; dolores sedandos circumlitus. Verū in Plinio æstiuas habetur pro ustiuas, quomodo etiam quædam huius autoris exemplaria habebant. Verum uetus quoddam ustiuas habuit, recta ut opinor lectione ex Plinio transsumpta. Vstiuas autem dixit Plinius, quæ caliditate et acredine sua partes inflāmāt ac inurūt. Ceterū in uoce epiphoras prima syllaba contra naturā est producta, sicut in uoce Socrates prima cōtra est correpta. Herpeta autē fœminino genere nominatiuo singulari dixit, quæ omnia

ἐπιφοραὶ.

Plinij locus.

Vstiuæ epiphoræ.

uelut eius sæculi notas reliqui.

DE SERPYLLO. CAP. IX.

Serpyllum ueteres dixerunt, quòd quasi serpat
Terræ uicinans: huic feruida siccaq; uis est.
Acri cum uino coctum, contundis oliuo
Cui rosa dat nomen: hoc unguine perline frontem
Aegroti, capitis solet hoc sedare dolorem,
Nidor combusti serpentes effugat omnes,
Et quoduis animal profundens ore uenenum.
Hoc ideo miscere cibis messoribus est mos,
Vt si forte sopor fessos depresserit illos,
Vermibus à nocuis tuti requiescere poßint.
Pestiferos morsus bibitum iuuat, appositumq;.
Prouocat urinas, compescit tormina uentris.
Splen iuuat admixto si sæpe bibatur aceto.
Si mel prædictis iungatur, sputa cruenta
Iactantes, mire potus solet ille iuuare.
Haustum cum uino iecoris sedare dolorem
Dicitur, hicq; solet producere menstrua potus.

Serpyllu͂. ἕρπυλλον. Serpyllum à serpendo latinis & græcis dictum est. Diosco. enim ait, ἕρπυλλον dictum est à serpendo, & quòd quam cunq; terræ partem contigit, radices spargat. Remedia ex eo de Plinio & Dioscoride sunt transscripta. Cæterum animal profundẽs

ἰοβόλον. ore uenenum dixit, τὸ ἰοβόλον, id est, uirus eiaculans

lans

lans, Dioſcoridi appellatum.

DE CENTAVREA. CAP. X.

SVnt centaureæ ſpecies maiorq́; minorq́;,
Vt ſupraſcriptis dixi de pluribus herbis.
Sed quia perpaucis ſpecies eſt cognita maior,
Hanc prætermittens uires narrabo minoris,
Quam notam cunctis credo uulgaribus ipſis.
Deſiccatiuæ uirtutis dicitur eſſe.
Non modicum plagas conglutinat inde recentes,
Inq́; cicatricem ueteres ſuperaddita ducit.
Iſchiada at ſi quis patitur, decoctio mire
Prodeſt, illius ſi ſit ſubiecta per anum.
Sanguine detracto ſedat mox illa dolorem.
Fomento neuis eadem medicabitur ægris.
Illius ſuccus deducit menſtrua ſumptus.
Pellit abortiuum, medicamina cuncta maligna
Cum uino ſumptum dicunt purgare per aluum.
Melle ſibi iuncto caligne lumina purgat.
Illius exprimitur autumni tempore ſuccus,
Quem deſiccatum feruenti ſole reponunt,
Ad renum curam quas diximus ante ſalubrem.

Sed quia perpaucis ſpecies eſt cognita maior.) Centauriō maius uel cētaurea maior, uelut etiā Lucanus uocat, quū inquit: Et panacea potens, et Theſſala centaurea: nihil aliud eſſe puto quàm rhaponticum. Rhaponticum.

cum, hodie à circulatoribus & officinis sic appellatum. Sicut Rhaponticũ uerum et ueterum, nihil aliud est quàm quòd hodie Rhabarbarum uulgò dicitur, id quod in emendata et annotata Plinij lectione palàm ostendemus. Idemq; senserunt nuper Leonicenus, Ruellius, ac Cordus. At uerò minor centaurea uelut cunctis nota hic describitur, quemadmodũ etiã est, nam apud nostrates uulgò mille aureorũ nomine uenit, uocabulo ut apparet ex centũ aureis detorto. Remedia ex Dios. ac Plinio sunt transscripta.

Rhabarbarum.

DE CHAMAEDRY. CAP. XI.

CHamaedrys Graece, quae gamandrea latine
Dicitur, hanc herbã calidã siccamq; fatentur.
Tertius est in utroq; gradus. depellit abortum
Si mixta potetur aqua, tußiq; medetur.
Conquassata iuuat si mixta bibatur aceto.
Splen siccat, purgat cum uino menstrua sumpta.
Hydropicis in principio sic sumpta medetur.
Sic quoq; pestiferis occurrit morsibus illa.
Cunctis praedictis prodest superaddita trita.
Sordens purgabis uulnus licet inueteratum,
Si cum melle teras, & tritam desuper addas.
Chamedryos oculi succo cum melle peruncti,
Dicuntur clari, dempta caligine, reddi.
Si tritam misces oleo, corpusq; perungas,
Frigus depellit, reuocabit et ipsa calorem.

Chamedrys

Chamædris à græcis appellata herba est, quasi humilis quercus, unde etiam quidam querculã minorem ipsam dixerunt. Trixaginem latine Plinius eandẽ appellauit. Verum Gamandrea uox uulgaris est, et ex græca corrupta. Chamædrys. Trixago.

Conquassata iuuat.) id est contusa et cõtrita, hoc est συνθλάσματα καὶ συντετριμμένα.

Frigus depellet.) Exemplaria partim pellit frigorem, partim pellit frigdorem habebant, ut media longa esset, uelut in uocibus, calorem, ardorem. Sed nos ex uetustißimo, frigus depellet restituimus.

DE ARISTOLOCHIA. CA. XII.

Aristolochiæ species tres dicimus esse.
Longa prior, radix est cuius lõga, uocatur.
Dicta rotunda sequens, quòd sit radice rotunda.
Tertia clematis græco sermone uocatur.
Viribus hæc penè par dicitur esse rotundæ.
Omnes uim calidam siccamq; leguntur habere.
In primo uis sicca gradu, feruensq; secundo est.
Pestiferos morsus cum uino sumpta rotunda
Curat, & assumptis prodest sic hausta uenenis.
Hocq; modo tardas educit sumpta secundas.
Cum pipere & myrrha putredine mũdat ab omni,
Post partum potata uteros uel subdita tantum.
Asthmaticis prodest, & frigora sumpta repellit,
Pleureticos curat mixto si sumitur amne.
Quodlibet infixum superaddita trita repellit.

Vulnera cum mellis purgatq; repletq; liquore.
Quòd si prædictis irim coniungis, & inde
Vngas gingiuas, dentes putredine purgas,
Splenis duriciam soluit, laterisq; dolorem,
Si mixta potatur aqua, febresq; malignas
Hoc potata modo fertur compescere mirè.
Sic etiam spasmis super omnia subuenit hausta,
Et sedat diram sic sæpius hasta podagram.
Et morbum curare solet sic sumpta caducum.
Et uentris nimium sic mitigat illa dolorem.
Sic quoq; fit sumpta leuior paralyticus illa.
Dæmonium fumus depellere dicitur eius.
Infantes fumo dicunt hoc exhilerari.
Fistula curatur huius radicibus herbæ,
Si benè purgatis eius loca concaua farcis.
Singultus sumpta sedari dicitur illa.
Omnia longa potest, quæ dixi posse rotundam.
Longa tamem uires habet illa debiliores.
Vnde quidem si defuerit quandoq; rotunda,
Par pondus longæ ponatur, dimidiumq;.
Fomento longæ prodest decoctio mire
Matricum morbis, humores extenuando
Pingues, & purgat, eadem si sumitur, illas.
Plinius hanc formare mares, cum carne bouina
Appositam uuluæ, postquam conceperit, inquit.
Trita necat pisces admixta calce rotunda.
Venenum terræ. Hanc ideo quidam terræ dixere uenenum.

Aristolochiæ uocem uersus hexameter penitus non recipit, & tamen in principio ipsam autor hic posuit. Medicamenta sunt apud Diosc. & Plinium. Recentiores græci medici, uelut sunt Paulus, Aëtius, Actuarius, rotundam & longam non στρογγύλην & μάκραν scribunt, sed notis utramq; depingunt, rotundam per circulum, hoc modo ⊙. longam per duas longas obliquas lineas, sic. ≠ Aristolochiæ notæ

Idem faciunt & in alumine rotundo appellato, per circulum ipsum notantes. Hunc morẽ indicare uisum fuit uelut barbarũ, cõpendij gratia ab exscribentibus excogitatũ, et nõ genuinũ ipsorũ autorũ.

DE DRACONTEA. CAP. XIII.

Herba, draconteiã græcorũ quã uocat usus,
Hæc eadẽ uulgi lingua colubrina uocatur:
Quòd colubro similis maculoso cortice surgat.
Ex quibus antiquis expertum credimus esse,
Quòd queat à simili colubrina uenena fugare.
Quisquis se trita radice perunxeris eius,
Tutus ab incursu serpentum dicitur esse.
Morsibus illarum cum uino sumpta medetur.
Si iungas oleum cum succo seminis eius
Auribus infundens poteris sedare dolorem.
Hoc succo lanam madidam si naribus addas,
Compesces morbum qui polypus est uocitatus:
Sic etiam cancris magnum solet esse iuuamen.

Succo radicis eius caligo fugatur,
Et uarij morbi quæ lumina perpetiuntur,
Ex ipso puro si sint lita, melléue mixto.
Et prodest oculis radix si manditur assa.
Cum pusca granis terdenis seminis haustis,
Lumina munda ferunt, pulsa caligne, reddi.
Si marcescentis illius floris odorem
Nare trahat prægnans, deponere fertur abortum:
Vel si sit radix matrici subdita trita.
Puluis radicis eius cum melle iugatus,
Tußim compescit sumptus, sedatq; catarrhum,
Et confert hæmoptoicis hoc sæpe iuuamen.
Pectoris humores exhaurit non redituros.
Omnibus his prodest radix si sumitur assa.
Istud idem faciet eius decoctio sumpta.
Eius cum uino radix uenerem mouet hausta.
Prouocat urinas, phagedænica uulnera sanat.
Si sit ei tritæ cum melle bryonia iuncta.
Vulneris hoc mundat sordes, syringia curat.
Sola sibi iuncto maculas depellit aceto.
Esse pedum uitium dicunt, cui pernio nomen
Est à pernicie membri patientis idipsum.
Plebs dicit mulam, solet hoc de frigore nasci.
Colubrina. Amne draconteæ radices decoque, tali
Pernio deletur si sæpius amne fouetur.

Dracunculus. In draconteа quæ et dracontion, draconculusq́; & colubrina appellatur, cætera recte ex Dioscor.

transsumpta

transsumpta sunt. Verũ quod hic habetur. Cum posca grauis terdenis seminis haustis, Lumina munda ferunt pulsa caligine reddi. Dioscorides penitus aliter habet. Potata inquit, triginta grana cum posca abortum faciunt. Et addit. Aiunt etiã odorẽ floris marcidi iam conceptos fœtus corrumpere. Quare in hoc erratum est ab horum uersuum authore, sed ita tamen ut interpretẽ antiquũ Dios. secutus sit qui hunc locũ sic conuertit. Seminis eius inquit triginta grana cum posca debita caligines oculorum emendant. Videtur autẽ hic deceptus esse per uerbum ἐξαμβλώσκουσι, id est, abortum faciunt, quod ipse reddidit, caligines oculorum emendant. quasi ἐξαμβλυώσσι legisset, idq; accepisset, obtusitatẽ eximunt. quæ tamen significatio uix ex hoc uerbo extorqueri possit. Porrò quòd hic ait: maculas depellit aceto. Dioscorides ἀλφοὺς dixit, hoc est uitiligines, quæ sunt maculæ albæ. At uerò perniones à pernicie dictos esse, minime uerum est, sed dicti sunt à perna, hoc est, clacaneo pedis, in quo ex frigore generantur rubores scissuræq; & excoriationes græcis χίμετλα, appellatæ. Easdem autem uulgò mulas dici, etiam Pandectarius tradit, qui itidem rosulas uocari prodit.

Dioscor. locus.

Maculæ. ἀλφοὶ. Vitiligines.

Perniões. χίμετλα.

DE BETONICA. CA. XIIII.

Betonicam soliti sunt cestron dicere Græci.
Vrinas potata ciet, lapidesq; repellit.

Fert

Fert hæmoptoicis cum pusca sumpta iuuamen.
Hydropicos siccat cum uino melleq; sumpta.
De folijs eius tritis factum cataplasma,
Non modicum prodest oculis quos læserit ictus.
Illius succus roseo commixtus oliuo
Auribus infusus, uarios fugat inde dolores.
Betonicæ puluis cocto cum melle iugatus,
Empyicos, tußimq; iuuat, suspiria sedat.
Et stomachi uarios sumptus iuuat ille dolores.
Si febrit, ex calida: cum uino si febris absit.
Cum mulsa bibitus idem puluis, mouet aluum.
Cum sale contritis folijs cataplasmate facto,
Vulnera curabis fuerint quæ facta recenter.
Tritaq; fracturæ capitis hæc sola medetur.
De folijs eius elixis fit cataplasma
Vtile non modicum uarijs uitijs oculorum.
Restringit lachrymas oculorum mansa uel hausta.
Hac etiam caligo solet metuenda repelli,
Aequo si rutæ fuerit cum pondere iuncta,
Et sic cum lympha sumatur trita tepenti,
Sic oculis nocuus sanguis per subteriora
Dicitur expelli, sic lumina libera reddi,
Sumpta hac cum tepida purgatur uomica dira.
Pectoris & morbi potu curantur eodem.
Splen iuuat illius decoctio sumpta, iecurq;.
Vncia betonicæ sociata quaterna uetusti
Vini cum cyatis tribus, his sint addita grana

Vigintiseptem piperis, simul hæc bene trita
Haustaq; purgabunt renes, pellentq; dolores.
Vncia cum cyatis calidæ potata duobus,
Dicitur immodicum uentris sedare dolorem.
Hæc tußim cum melle fugat, uentrem quoq; mollit.
Vnaquaq; die febre si uexabitur æger,
Vncia iungatur plantaginis una, duabus
Betonicæ, sic cum tepida contrita bibatur
Antea quàm febris prænuntia frigora fiant.
Vncia betonicæ calidæ cyato resoluta
Prodest hydropicis, si sit potata frequenter.
Radicum puluis cum mulsa tritus & haustus,
Humores uelut helleborum uomitu citò purgat.
Bis binas dragmas præcepit Plinius harum
Radicum dare cum passo, mulsoúe bibendas,
Præcipue phlegma uomitu purgabitur isto.
Cum mulsa bibitus prodest puluis foliorum
Ruptis, atq; uteros potus leuat iste cadentes.
Cum uino sumptis obstat potata uenenis,
Præcipue semen: quod si desit, datur herba.
Vncia betonicæ cum uino sumpta tepenti
Ictericos curat, cum mulsa menstrua purgat.
Pondere uero fabæ puluis cum melle uoratus
Post cœnam, stomachum iuuat ut bene digerat escã.
Si de betonica uiridi sit facta corona
Circa serpentes (ut Plinius asserit author)
Audebunt nunquam positam transire coronam:

Sed

Sed morsu proprio pereunt, & uerbere caudæ.
Omnibus antidotis Menemachus eam sociari
Præcipit, ut stomacho magis herbis omnibus apta.
Plinius hanc, inquit, qui secum gesserit herbam,
A' nullo poterit nocuo medicamine lædi.
Et dicunt quòd ea cum uino sæpius hausta,
Plumbeus abscedat color, & melior reuocetur.

Phthisis. Empyici. Empyicos tußimq; iuuat.) Pro tußim puto legendum esse phthisim. Nam sic Diosco. habet. facit & ad phthisicos, & empyicos cum melle. Sunt autem phthisici qui exulcerato pulmone contabescũt. Empyici autẽ quib. thorax suppuratus est. De utrisque Hip. 5. Aph. 16. sic ait. Quicunq; ex pleuritide Empyici fiunt, si purgẽtur in quadraginta diebus à qua die ruptio fit, liberãtur: sin minus in phthisim transeunt. Vt autem hic phthisim legendũ putem, facit quòd infra rursus ait: Hæc tußim cũ melle fugat.

Cum mulsa bibitus prodest puluis foliorũ Ruptis, atq; uteros potus leuat iste cadentes.) Hoc Diosco. sic tradit: foliorum drachma una ex aqua mulsa datur ad conuulsa, rupta, & ad uteri affectiones. & uteri strangulationes. Quare hic non recte uteros cadentes dixit, pro uteros strangulantes et suffocantes. Diuersæ enim affectiones sunt uteri suffocatio, et uteri casus siue prolapsio, uelut Paulus li. 3. cap. 71. & 72. docet. Porrò pondus hic non adiectum

Vteri strã gulatio. Vteri pro lapsio.

fectum est, in alijs autem remedijs nimis ductum, et frè unciale pro drachmali, ut si quis betonica usurus sit, rectius hac parte Diosco. & medicos græcos quàm hunc autorem sequatur.

DE CHAMAEMELO. CA. XV.

Anthemidē magnis cōmendat laudibus autor
Asclepius: Camæmelā quā nos uel camomil
Dicimus: hæc multū redolēs est et breuis herba, (lā
Herbæ tam similis, quam iusto nomine uulgus
Dicit amariscam, quòd fœteat, & sit amara,
Vt collata sibi uix discernatur odore.
Authores dicunt species tres illius esse.
Quas solo florum distingui posse colore
Tradunt, est cunctis medius flos aureus illis:
Sed uarijs folijs flos circumcingitur ille.
Albi, uel nigri sunt, purpureiue coloris.
Dicitur anthemion proprie, cuius foliorum
Purpureus color est, maiorq; & fortior hæc est.
At leucanthemium, folijs deprehenditur albis:
Melinis crysanthemion. uis omnibus illis
Sicca calensq; gradu primo conceditur esse.
Prouocat urinam cum uino quælibet hausta.
Vesicæ frangit lapides, & menstrua purgat,
Si foueatur aqua matrix qua cocta sit herba,
Aut si cum uino potetur sæpius illa.
Tormina sic sedat, stomachiq; inflatio potu

Pellctur

Pelletur tali, ſquamas de uultibus auferꝭ
Si tritam apponas ſolam, melliúe iugatam.
Ictericis prodeſt eius decoctio ſumpta.
Et mire prodeſt iecoris potata querelis.
Pellere cum uino potata refertur abortum.
Hac oleo cocta foueas ſi febricitatem,
Frigus depelles, febrem quoq; ſæpe fugabis.
Vnguine purgantur hypocondria turgida tali.
Peſtiferos morſus ſerpentum, pondere dragmæ
Cum uino, prohibet herba iſthac ſumpta nocere.
Plinius affirmat hanc quadraginta diebus
Vnaquaq; die bis ſumptam pondere dragmæ
Cum geminis cyathis uini ſubtilis & albi,
Cum lotio ſenſim totum purgare lienem.
Aegylopas curat, ſi quis commaſticet illam,
Et ſic apponat. ſic ulcera ſordida purgat.
Ebullire caput febris feruore grauatum
Sæpe ſolet, uel collectis humoribus in ſe
Vlcera producit, uocat exanthemata Græcus.
Hæc decocta uirens oleo camomilla repellit.
Quòd ſi defuerit uiridis, maceretur aceto,
Et caput inde lauet, nullum magis adiuuat unguen.

Anthemis Chamæmelum.

Anthemis herba chamæmelum quaſi humile malum appellata eſt, quoniam ut Plinius ait, odorem mali habet. Camomillæ autem appellatio uulgaris eſt ex græca corrupta. Et neutra uox hoc modo in hexametrum

xametrum

xametrum uersum recipitur, uelut ipse hic usurpauit. Sicut neq; Asclepius, quem pro Asclepiade Plinio dicto posuit, quum secũdam habeat longam, Amariscam autem spatulam fœtidam uulgò appellatam dicit. Cætera nota sunt, & ex Diosc. ac Plinio accepta. Exanthemata eruptiones sunt feruidæ, quas papulas & pustulas Latini dicunt.

Amarisca Spatula foetida.

Exanthemata. Papulæ. Pustulæ.

DE LIGVSTICO. CA. XVI.

A Ligurum patria sumpsere ligustica nomẽ,
Copia quòd maior ibi nascitur illius her- (bæ.
Tertius huic gradus est calidi sicciq; uigoris.
Maior radicis uis est, & seminis eius,
Et par est illis uis in medicamine quouis.
Inflato stomacho cum uino sumpta medetur,
Et tali potu uis digestiua iuuatur.
Omnibus & morbis sic prodest interiorum.
Vrinas sic sumpta mouet, sic menstrua purgat.
Tota uenenatis medicatur morsibus herba,
Si bibitur bene trita prius, uinoq; soluta,
Et pars contritæ ponatur desuper herbæ.
Non modicũ colicis prodest hæc mansa uel hausta,
Vel si radicis elixatura bibatur.
Nec solum colicis decoctio proderit ista,
Sed supradictis medicabitur omnibus hausta.
Digestibilibus semen bene iungitur eius
Omnibus antidotis, quòd sit huic peptica uirtus.

Hanc oculis Strabus potuq; & odore nociuam
Asserit: antidotis eius tantummodo semen
Misceri iußit. hoc uerum, dixerit à se
Aut à doctorum libris, non est mihi notum.
Hoc scio quòd ueteres nō paruis laudibus istam
Attollunt herbam, nec me legisse recordor
Vllum, qui Strabi sermonibus astipuletur.

Ligusticū à Liguribus apud quos multa nascitur, appellatum esse, & Plinius & Diosc. meminerunt. Sicut quoq; reliqua ex ijsdē sunt transscripta. Digestibiles antidotos dixit τὰς πεπτικὰς δυνάμεις Diosc. appellatas, id est, cōpositiones concoctorias & concoctionem adiuuantes. Est enim ligustici uis calfactoria & cōcoctoria, πεπτικὴ græcis dicta. δυνάμεις autem pro antidotis compositionibusq; ac cōfectionib. dici, etiā in cōmentarijs medicis annotauimus. Porrò quòd citat Strabū, qui dixerit et potu et odore nociuū esse oculis ligusticū, et semen eius tantū antidotis recte addi, id ipsum in Hortulo Strabi Galli habetur, in his uersibus.

πεπτικὴ δυνάμεις.

δυνάμεις. Compositiones.

Inter odoratā memorare ligustica syluam
Fortia, suadet amor parui diffusior horti.
Hoc germen succo quāuis et odore, gemellis
Orbibus efficere, et tenebras inferre putetur.
Semina sæpe tamen quæsitis addere curis
Parua solent, famamq; aliena laude mereri.

Quum

Quum autem Strabum citet, palam apparet hũc quisquis is est tandem autor, post Strabum uixisse. Verum de Strabo ipso scribit Abbas Spanheensis, quòd fuerit monachus Fuldensis, natione Teutonicus, & Rabani abbatis auditor ac scriba sub Ludouico Imperatore, Anno Domini DCCC. XL. Volaterranus item Rabanum sub Gregorio quarto, & Ludouico pio uixisse refert, qui sanè uixerũt sub annum domini DCCCL. Strabus gallus.

DE ACCIDVLA. CAP. XVII.

OMnes accidulam quam græcus dicit aizon,
Sic dici credunt, sapor illi quòd sit aceti,
Crescit arenosis in pratis, & secus amnes.
Hanc auide quidam comedunt in tempore ueris,
Expertumq; ferunt sibi quòd fastidia tollat.
Virtus est illi siccans, & frigida ualde.
Tertius à medicis datus est gradus huic in utroq;.
Hac fugat apposita sacer ignis, et herpeta mordax.
Et tumor ex oculis tritæ cataplasmate cedit.
Vlcera quæ serpunt cohibet, combustaq; curat.
Et multum calidæ dicunt prodesse podagræ,
Si fuerit folijs illius operta uirentis,
Aut cataplasmetur, mixta contrita polenta.
Eius cum roseo succus permixtus oliuo,
Dicitur antiquo capitis prodesse dolori,
Qui dolor est lingua dictus cephalagia græca.

Omne genus fluxus uentris restringere mire
Cum uino potata solet, uel mansa frequenter.
Hocq; modo nimium manantia menstrua sistit,
Vel si matrici tritam uiridem superaddas.
Sic quoq; lumbricos pellit potata rotundos,
Taliter & cunctis prodest potata uenenis.
Exhilarat uisus illius succus inunctus.
Affirmant, istam qui secum gesserit herbam,
Quòd non appetet hunc lethali scorpius ictu.
Auribus expressus succus si funditur eius,
Adiuuat auditum mire, pellitq; dolorem.
Altera uerò minor species est istius herbæ,
Semperui ua, barba Iouis. Quam semperuiuam dicunt, quoniam uiret omni
Tempore: barba Iouis uulgari more uocatur.
Esse refert similem prædictæ Plinius istam,
Nec minus omnibus hanc prædictis posse iuuare.
Mane solent adeo palpebræ glutine quodam
Phlegmatis astringi, ualeant ut uix aperiri,
Has mire succus herbæ deglutinat huius,
Illo si tactæ fuerint, digitóue perunctæ.

Aizoon uel aizon et Latinis semperuiuũ, à perpetua foliorum uiriditate appellatum est. duas ei species omnes aßignant, maiorem & minorem, & sanè ex Dioscoride & Plinio hic transsumpta sunt omnia, quæ illi de utroq; semperuiuo prodiderunt. Acidula. Sed hoc apud neutrum ipsorum est, quòd Acidula

aizon

aizon maius appelletur, propterea quòd sapor illi sit aceti. Nam & uocabulum ipsum uulgare est, & haud scio an de aizoo dictũ. Vulgò enim acidulam rumicis siue lapathi speciem appellant, quæ etiam oxalis, & acetosa ab acore appellatur, & ad intinctus in acetarijs in usu est. Quare hanc ipsam oxalidis speciem uidetur hic cũ semperuiuo maiore confudisse. certè quòd hic ait, auidè hanc quosdam ueris tẽpore ad fastidia tollenda comedere, idipsum neq; Diosc. neq; Plinius de aizoo dixerunt, oxalidem autem in eo usu esse, apud omnes uulgò in cõfesso est. Oxalis. Acetosa.

Hocq; modo nimium manantia menstrua sistit.) Diosco. non menses siue menstrua ac lunares purgationes per hanc utero appositam sisti tradit, sed fluxum muliebrem. Esse autem aliud Menses in mulieribus, quàm fluxus muliebres, Galenus lib. 1. de alimentis, ubi de lentis cibo agit, his uerbis docet: Nõ apta est inquit, ad menstruas purgationes, crassum & ægrè profluum reddens sanguinem, Verum fluxui muliebri appellato cõmodißima est. Sed de hac re longius in commentarijs medicis li. 7. egimus. & nõ solus est hic autor, qui hac parte sit hallucinatus. Menses. Fluxus muliebris

DE PORTVLACA. CAP. XVIII.

Andrachne Græce, quæ portulaca Latine
Dicitur, hæc uulgi pes pulli more uocatur. Pes pulli.

Humida uis eius, & frigida dicitur esse.
Inde iuuat febrem, quam dixit græcia causon.
Trita super stomachum uiridis si ponitur herba.
Præstat idem succus si sumitur, herbaq; mansa,
Aut ut olus accepta solet lenire calorem.
Mansa uel hausta potest nimiũ restringere fluxum
Sanguinis, & uentris nimium cohibere fluorem.
Esse uetat dentes quibus est contrita stupentes.
Et tumidis oculis prodest superaddita trita.
Feruorem solis æstate comesta nocere
Non sinit, & uentrem cum uino & cum sale mollit.
Vesicæq; solet sedare comesta dolores.
Est hæmoptoicis hæc sæpe comesta salubris.
Acidulæ similes huic penè per omnia uires,
Effectusq; pares testatur Plinius esse.

Esse uetat dentes quibus est contrita stupentes.) Id est, dentium stuporem eximit si dentibus comeratur. Hic autem stupor αἱμωδία græcis dicitur. Et est hebetatio dentium à frigidis austerisq; ac acidis succis oborta. Ad hanc itaq; etiam Galenus lib. 5. Compos. pharm. secundum locos portulacam manducandam præscribit.

αἱμωδία

Acidulæ similes.) dicit quidem hoc Plinius, lib. 25. ca. 13. sed non acidulæ, uerum aizoo similem esse dicit, quam hic acidulam appellauit, deinde nõ hanc hortensem sed syluestrem portulacam ... cebram appellatam

pellatam, aizoo similem esse Plinius dicit. Ita etiam Dioscorides.

DE STRVTHIO. CAP. XIX.

STruthion, ostrutiū quod uulgi more uocatur,
Vim calidam siccamq; tenet. radix fugat eius
Cum uino morbos iecoris, si trita bibatur.
Ictericos sic sumpta iuuat, splenisq; tumorem
Durum, quem græcis sclerosin dicere mos est,
Hocq; modo lapides uesicæ frangere dicunt.
Menstrua sic, lotiumq; mouet, tußiq; medetur.
Sic orthopnoicis prodest, si sæpe bibatur.
Subdita matrici depellere fertur abortum.
Et sic tarda nimis seducere menstrua tradunt.
Acri cum uino si iungitur atq; polenta
Illius succus, lepras emundat iunctas.
Hoc etiam succo iuncto cum polline, quem dant
Hordea, curatur (ut dicunt) pustula quæuis,
Si superaddideris emplastri more dolori.
Illius succus cum melle terendo iugatus,
Humores capitis purgat si nare trahatur.
Sternutamentum per se puluis mouet eius
Naribus iniectus, ueratro non segnius albo.
Ictericis succus mire medicabitur eius,
Hunc si nare trahant lacti mixtum muliebri.

Durū quem græcis sclerosim dicere mos est.) Hic uersus etiā sic in alijs exēplaribus habetur. Durum

σκλήρω-
σις.

quem græci ſclirosin dixere repellit, ſed non poteſt ſtare uox ſclirosin media correpta, quum σκλήρωσις per ω μέγα ſcribatur. Poßit autem ſic quoq; legi: Durum quem græci ſcirrhum dixere, repellit.

σκιῤῥός.

Σκιῤῥός aũt eſt abſceſſus induratus in quacũq; corporis parte, idẽ σκλήρωσις dicitur, et σκληρός. Vnde etiã uulgò apud noſtrates inguinum abſceſſus appellationẽ traxerũt, Dioſ. σπλῆνα ἐσκιῤῥωμένον τήκει habet, id eſt, ſplenem induratum cõſumit & liquat. Reliqua ex Dioſc. ac Plinio conſtant.

Eſt porrò ſtruthion, quæ & herba lanaria, & radicula appellatur, uulgò Aſtruciũ & Meyſterwurtz uocant, itemq; Aſtrens.

DE LINGVA BOVIS. CA. XX.

Lingua bouis, græca ligua buglossa uocatur,
Hæc coleram rubeã nimio feruore peruſtam
Purgat, cum uino fuerit ſi ſumpta frequenter.
Cardiacam, coleræ quem fecit copia nigræ,
Conſimili potata modo curare ualebit.
Humores nocuos pulmonis detrahit hauſta.
Mixtus aquæ tepidæ ſi ſuccus ſumitur eius,
Illi qui iſchiadem patitur mire medicatur.
Vim memorem cerebri dicunt ſeruare periti
Vinum potatum quo ſit macerata bugloſſa.
Lætos conuiuas decoctio dicitur eius
Reddere, ſi fuerit inter conuiuia ſparſa.

Iamdudum

Iamdudum annotauit Nicolaus Leonicenus, & cõsenserunt alij quidam non ignobiles Medici, buglossum hoc, esse eam herbam quæ in officinis uulgò borrago uocatur. Eam uerò quæ buglossa appellatur in iisdẽ officinis Cirsiõ Dios. esse. Neq; nũc animus est, neq; locus contrà sentire. De hoc admonere uisum est, medicinas buglossi hic ab autore horum uersuum proditas apud nullum græcum medicum esse. Diosc. folium eius inquit, in uinum iniectũ euphrosynum esse uidetur. hoc est læticiam cõciliare, & animi uoluptates augere, ut Plinius ait, qui etiam addit: et Euphrosynum uocatur, non quòd hæc appellatio eius aliqua sit, uelut quidã exposuerunt, sed Euphrosynum id est lætificans uocatur. Galenus humidam & calidam eius temperiem esse tradit, unde etiam inquit, uinis immissa lætitiæ causa esse credita est. Conuenit tussientibus ob gutturis asperitatem in aqua mulsa. Atq; hæc quidem de ipsa græci tradunt. Reliqua ex Arabibus petita sunt, quorum fidem multa in dubiũ apud me uocant. Porrò Cardiaci sunt, quibus os uentris, quod cardian ueteres Græci dixerunt, acuta & maximè æstuosa febri affligitur, accedit angor animi, desperatio acq; corporis iactatio, uelut Aëtius serm. 9. cap. 1. tradit. Choleram autem utranq; pro bile hic dixit.

Buglossũ. Borrago. Euphrosynum. Cardiaci. Cholera.

DE ORIGANO. CAP. XXI.

ORiganu uires calidæ siccæq; leguntur.
Tertius huic in utroque gradus conceditur
Illius in uino curat decoctio sumpta (esse.
Quosuis pestiferos morsus, si sæpe bibatur.
Cum mulsa sumptum prodest aconita bibenti.
Sic multis alijs dicunt obstare uenenis.
Conquassata iuuat mansum, uel sæpius haustum.
Hydropicos reprimit bibitum, siccatq; tumores.
Cum mulsa bibitum choleram deponere nigram
Dicunt oxybaphi fuerit si pondere sumptum.
Menstrua deducit bibitum, uel si superaddas
Tritum, uel cocta mulier si se fouet herba,
Illius puluis tußim cum melle repellit.
Pruritus, & achoras, & maculas fugat omnes,
In quo decoquitur si sæpius amne lauentur.
In lauachro iuuat ictericos hæc coctio sumpta.
Succus prædictæ uiridis si sumitur herbæ,
Vuas & fauces curat siccando tumentes.
Oris uulnertbus medicabitur ore retentus.
Naribus infusus, irino mixtus oliuo,
Inuisum capiti coget manare cruorem.
Auribus infusus sedat cum lacte dolorem.
Hic succus mixtus cæpis, & rhus Syriacus,
Ponitur ad solem tunc quando Sirius ardet,
Sicq; quater denis feruebit in ære diebus.

Si

Si ſupponatur lecto confectio talis,
Effugat (ut dicunt) animalia cuncta nociua.
His quibus ex aliquo uitio digeſtio tarda
Euenit, ex uino prodeſt ſi ſumitur aluo.
Cum calida morſus ſtomachi lenire probatur.
Illius ſuccos oleo mixtos & aceto
Succida lana bibat, & ſic ſuperaddita membris
Luxatis uel contuſis, multum iuuat illa.
Prouocat urinam, lumbricos reijcit hauſtum.
Dente diu tritum ſolet inde fugare dolorem.
Omnia potatus ſuccus iuuat interiora.
Eius cum ſucco ſi caryca trita bibatur,
Sudorem poris producere fertur apertis.
Appoſitus coxis ſuccus cum polline farris,
Harum ſæpe grauem pellit reprimitúe dolorem.

Dicunt oxybaphi fuerit ſi pondere ſumptum.) Menſura & non pondere dicere oportebat de oxybapho. Eſt enim oxybaphum quod nos acetabulum dicim, menſura ſeſquiciatham complectens, octo itaq; oxybapha Sextarium faciunt, ſicut xij. cyathi eundem conſtituunt, uelut Paulus libr. 7. docet, quem locum nos ad finem Aëtij à nobis cõuerſi adiecimus. Non poteſt autem certum pondus menſurarum aridarum rerum explicari, quum diuerſa ipſarum grauitas exiſtat. Oxybaphum. Acetabulum.

Hic ſuccus mixtus cæpis & Rhus Syriacus.)

Hoc

Hoc medicamentum Diosco. his uerbis prodit. Vomitorium medicamentum paratur ex ipsa ac cæpis & Rhoê, qui obsonijs additur, omnibus in ære cyprio sub caniculæ æstu insolatis, ad dies quadraginta. Et addit: Substrata ipsa herba reptilia fugat. Duo itaq; medicamenta in unum contraxit hic autor, de uomitorio penitus silens, & uim simplicis herbæ, medicamento composito adscribens. Cæterũ de Rhoe Syriaco, ac reliquis rhois generibus, in cõment. medicis diximus.

DE MARRVBIO. CAP. XXII.

MArrubium nostri dixerunt, prasion Argi.
Hanc herbã medici calidã, siccamq; secũdo
Dicunt esse gradu. decoctio totius herbæ,
Seminis aut eius, phthisicos mire iuuat hausta.
Pectoris hæc uarios compescit potio morbos.
Et melius prodest illi si iungitur iris.
Asthmaticos sic sumpta iuuat, tußimq; repellit.
Accelerat partus eadem, pellitq; secundas.
Si mel marrubio iungatur, uulnera purgat.
Hocq; modo curat quæ rodunt ulcera carnem.
Dicitur hoc bibitum lateris sedare dolorem.
Omnibus his succus siccatus proderit eius.
Illius succus cum uino melleq; mixtus
Prodest luminibus caligne debilitatis.
Sic iuuat ictericos iniectus naribus idem.

Auriculæq; grauem dicunt curare dolorem,
Hunc mixtum roseo si fundas intus oliuo.
Vsum marrubij non dicunt esse salubrem
His, qui uesicæ morbo, renumq; laborant.

Marrubium & prasion uulgò Andorn et Gots vergiß appellata, omnes has uires in se habet ex Diosc. ac Plinio transscriptas. Verum quòd hic ad finem habetur, non esse salubrem marrubij usum his qui uesicæ morbo rhenumq; laborant, hoc ipsum Plinius sic tradit: Cauenda tamen inquit, exulceratæ uesicæ & rhenum uitijs. Verum Diosco. simpliciter uesicæ & rhenibus incōmodam esse ait. κύστει μέντοι καὶ νεφροῖς ἀθετεῖ, inquit. de morbis & uitijs ac exulceratione silens.

Marrubij usus uesicæ nociuus.

DE IRI. CAP. XXIII.

IRi dat florum nomen color ipse suorum,
Cœlestis similes sunt nempe coloribus iri.
Illyricam dicunt illam, quia plurima nasci
Fertur in Illyria Vis eius sicca, calensq;
Dicitur, atq; gradum dant huic in utroq; secundū.
Maior uis huius est in radicibus herbæ.
Has desiccandas per frusta rotunda secatas,
Sic ut se partes non tangant, insere filo,
Inq; loco sicco fac suspendantur in umbra:
Vix aliter totum poteris siccare per annum.

Cum

Cum uino ſedant tußim, præbentq́; ſoporem.
Si latitans intus ſanies præcordia lædit,
Pellitur illarum cum uino puluere ſumpto.
Cum mulſa bibitus coleram depellit iniquam.
Tormina cum mixto bibitus ſedabit aceto.
Hocq́; modo ſumptis dicunt prodeſſe uenenis.
Spleneticis & contractis, & quouis frigore læſis,
Cum uino bibitus puluis medicabitur eius,
Hocq́; modo ſumptus tardantia menſtrua purgat.
Duricias uteri radicum coctio mollit,
Si ſubtus tepida foueantur ſæpius illa.
Hæc cum clyſterio ſi ſit ſubiecta per anum,
Non modicum iſchiadis dicunt prodeſſe dolori.
De radicibus his mixto collyria melle
Fiunt, quæ uuluæ pellunt ſubiecta ſecundas.
Inq́; locis hæc fixa cauis ſyringia curant.
Commixtus melli deſiccat uulnera puluis,
Carneq́; nuda replet, ſi ſit ſuperadditus, oſſa.
Pulueris hellebori pars tertia iungitur albi,
Iris radicum tenui cum puluere duplo,
Puluis uterq; ſimul commixto melle ligatus,
Hoc ſuperappoſitum purgat lentigine uultum,
Et papulas eius iſtud cataplaſma repellit.

Splenici. Spleneti-ci.

Spleneticis & contractis.) Dioſc. ſplenicis & conuulſis habet, hoc eſt σπληνικοῦς καὶ σπωμέ-νους. Credo autem Splenicos ubiq; etiam apud Pli-

nium

nium pro spleneticis legendos esse, quum splenicorum uox rectè à splene dicatur, & non spleneticorum. Pl ci.

Pulueris hellebori pars tertia.) Et hoc medicamentum simpliciter, citra certũ hellebori modum, itemq; iridis, Dioscorides tradit. Sic autem habet. Lentigines & maculas solares depurgant, cum helleboro albo & duplo melle cataplasmatis modo impositæ. Loquitur de radicibus iridis, quarum quanta tandem portio sumatur addito Helleboro, duplum mellis ad utraque addi uult. Quædam exemplaria pro lentigine habent caligine, sed falsò, Nam & φακοὺς καὶ ἐφήλεις Diosc. habet, hoc est, lentigenes, & maculas solares, hoc est, quas solis feruor & æstas elicere solet. Vnde etiam Plinius Aestates ipsas uocat 28. ca. 12. Aestates inquit quæ decolorem faciunt cutem, fimum uituli cum oleo & gummi manu subactum emendat, & aliàs caligo non uultus, sed oculorum est.

φακοὶ. ἐφήλεις. Lentigines. Maculæ solares. Aestates.

DE ASARO. CAP. XXIIII.

EST asarum Græce, uulgago dicta latine.
Hæc calidæ & siccæ uirtutis dicitur esse.
Tertius est illi gradus, ut dicunt in utroq;.
Prouocat urinam, potataq; menstrua purgat.
Hocq; modo iecoris medicatur sumpta dolori.

Hydropi

Hydropicos iuuat, iſchiadē fugat hauſta frequenter.
Et uuluæ morbis decoctio ſubuenit eius.
Dicitur ictericum potata repellere morbum.
Helleborię; modo uomitu præcordia purgat.
Sed non eſt huius purgatio tam uiolenta,
Nec metuenda quidem, ſi fiat taliter illa.
Aetatem & uires eius circumſpice primum,
Quem purgare uoles, & tempus quale ſit anni.
Et ſi ſit regio feruens, uel frigida ualde,
Aut ſi temperiem mediam tenet inter utranq;.
Nam ſenibus pueriſq; parum donare licebit.
Aetatis mediæ plus his, iuueneſq; requirunt.
Pinguibus et ualidis plus dandum quàm macilētis,
Debilibuſq; uiris: magis in gelida regione
Dandum quàm calida, duris quocunq; labore
Plus dabis, hiſq; minus quos reddunt ocia molles.
Hæc circumſpiciens, & cætera talia tractans,
Non ſolum tutus dabis hanc, ſed quaslibet herbas,
Quæ purgant uomitu, ſtomachum uentremúe reſol
Sed quia de cunctis dixi cōmuniter herbis, (uunt.
Quo ſit danda modo propriè uulgago docebo:
De folijs eius triginta recentia tollens,
Adde meri tantum quo poßint cuncta recondi.
Tota nocte mero facias macerentur in illo,
Mane terens, uino, quo ſunt macerata, reſolue.
Tunc olus excoctum cum pingui carne recenti
Porcina, prius ægroto da ſufficienter,

Et

Et ſumat quantum uini uult fortis & albi,
Sic aſari ſuccum colatum trade bibendum.
Fortibus & magnis eſt hic numerus foliorum
Sufficiens, reliquis (ut diximus) eſt minuendus,
Iuxta quod uires, ætas, & cætera poſcunt.

Galenus radicum Aſari eandem uim eſſe ait cum acoro, ſed magis intentam, ut quæ de acoro ſcripta ſunt, ad aſarum quoq; referre oporteat. Quæ hic referuntur ipſius uires, ex Plinio ac Dioſ. ſunt tranſ ſumptæ. Cæterum modus quo ſumptum Aſarum præcordia uomitu purgat, neq; Dioſcoridi neq; Plinio traditus eſt, & uidetur experimento cognitus ab autore hoc proditus eſſe. Appellatio porrò uulgaginis, ſiue ut alia exemplaria habent, Vuluaginis non eſt latina, ſed uulgaris & barbara. Aſari uerò græca eſt, & inde ducta quod in coronas non addatur, ſi Plinio credimus. Certè etymi huius appellationis rationem nondum à quopiam explicatam uideo. Quidam ἄσαρον quaſi ἀσάρωτον, uelut Heſychius exponit, accipiũt. Eſt autẽ, ἀσάρωτον nõ purgatum, non ornatum. σαρόω enim purgare et uerrere ſignificat, dictumq; inde Aſarum putant, quòd in ornatum non ueniat, quaſi uerò non conſiſtat ornatus citra ſerta & coronas. Alij per coronas, manuales ſcopas, quæ ex coronamentorum genere odoris gratia concinnatæ geſtantur, accipi-

Aſarum.

Vulgago.

ἄσαρον unde dictum.

tunt, & quòd in illas asarum non inseri soleat, dictum ἄσαρον putant, quasi scopas non ingrediens, sed uide ne nimium calidum sit hoc modo. Ego sanè ἄσαρον, si modo Plinius rectè pronuntiauit, di-
σειραί. ctum existimo quod in σειρὰς, id est coronas textiles non recipiatur. σειρὰς autem Græci πλέγματα ac δεσμοὺς & catenulas exponunt, hoc est, nexus et fasciculos, ut in ἄσαρον uoce ει. diphthongus in α. transierit.

DE CYPERO. CAP. XXV.

Vim cypero Medici calidam siccamq; secundo
Dicunt esse gradu, potu depellitur eius
Calculus, urinæ purgat laxatq; meatus.
Dicit Apollodorus quòd pellere poßit abortum.
Si mulier foueatur aqua qua coxerit illum.
Asserit hic idem consumere posse lienem.
Illius fumo si sæpius ore trahatur.
Si se sanus homo fumo suffumiget illo,
Dicit eum fieri firmum magis & leuiorem.
Subuenit alarum uitijs admixtus oliuo.
Succus sic uitium fugat intertriginis unctum.
Humores nimios depellit sæpius haustus.
Illius solus puluis, melliue iugatus
Vlcera mirifice, uel uulnera putrida purgat.
Præcipuè puluis hic ulceribus ualet oris.
Si bibitur, stomachum confortat debilitatum.

Hydropicis multum succurrit sæpius haustum,
Atq; per urinas humores purgat aquosos.
Contrito ualidum Cypero si iungis acetum,
Vlcera quæ serpunt cohibes medicamine tali.

Cyperum Celsus iuncum quadratum appellat, Plinius triangularem, Dioscori. simpliciter angularem, id est γωνιώδη & similem σχοίνῳ dicit, id est iunco rotundo ac odorato à Celso dicto, qui uulgò squinantũ uocatur uoce ex σχοίνου ἄνθους corrupta. Quod hic ait ex Apollodoro ipsius fomentum, siue decoctum fotu adhibitum, abortum facere, Plinius sic tradit: Nam locum eius corruptum sic integrè legendum adscribam. Quod ad Cyperum attinet, Apollodorum quidẽ sequimur, qui negabat bibendum, quanquam professus efficacißimum esse aduersus calculosos. Eo fotas fœminas abortus facere non dubitat &c. Sequuntur autem etiam reliqua quæ his subsequentibus uersibus recensentur.

Iuncus quadratus
Iuncus rotundus.
Squinantum.

DE PAEONIA. CAP. XXVI.

PAeoniam Medici calidam siccamq; fatentur.
Hãcq; tenere gradũ dicũt in utroq; secundũ.
Splen, iecur, & renes cum mulsa sumpta iuuabit,
Si iungatur ei uiolenter amygdala trita,
Menstrua sic purgat, & fluxum detinet alui,
Illius in uino decoctio sæpius hausta,

Vesicæ diros sedat sic sumpta dolores.
Sclerosim sic illa iuuat, stomachiq; dolorem.
Calculus infantum potu depellitur eius.
Nephriticos eadem multum iuuat, ictericosq;.
Pressuras, inferre solent quas somnia nocte,
Pæoniæ semen bibitur si sæpius, arcet.
Illius radix pueris suspensa caducis,
Non modicum prodest, uelut asserit ipse Galenus.
Quendam se puerum narrat uidisse caducum,
Aetas cuius erat annorum circiter octo:
Pæoniæ puer hic radicem ferre solebat
Appensam collo: quadam uice decidit illa,
Moxq; puer cecidit; solito qua more ligata,
Protinus euasit: rem uerò probare Galenus
Hanc plenè cupiens, radicem denuo dempsit
De collo pueri, cecidit, uiguitq; resumpta.
Cognita uis herbæ fuit huius sic manifeste.
Ipse Dioscorides cunctis ait esse caducis
Aptam si bibitur, uel si suspenditur illa.
Seminis illius ter quinq; rubentia grana
Cum uino fluxum matricis sumpta coërcent.
Nigra solent uarios matricum pellere morbos,
Si totidem dantur cum uino nocte bibenda.
Huius sunt geminæ species: mas dicitur una:
Altera, quæ minor est species, est fœmina dicta.
Radix maioris est palmis longa duobus,
Crassaq; ceu digitus: radix diuisa minoris

Dicitur

Dicitur in plures radices: hæc bene purgat
Post partum potata uteros uino sociata.
In cunctis reliquis similis uis dicitur illis.

Sclerosim sic illa iuuat.) Quædam exemplaria hic habent. Et scotosim sic illa iuuat. Verum sclerosim legendum esse palam est, ex Diosco. de ea autem suprà, capite de struthio, dixi. Sclerosis.

Pressuras inferre solent quas somnia nocte.) Incubus appellatur affectio, qua quis putat se grandi mole noctu in somnis opprimi, strangularíq; ac suffocari, græci ob id, πνιγαλιῶνα uocant, & ab incubitione ac insultu ἐφιάλτην. has itaq; affectiones hoc loco pressuras uocat, et ad ipsas pæoniæ semen potum conferre tradit. Incubus. πνιγαλιών. ἐφιάλτης

Illius radix pueris suspensa caducis.) Hoc loco historiam de puero quodam ex Galeno recitat. Sed quia non bonum interpretem habuisse uidetur, uerba ipsius Galeni de hac re ex sexto simpl. pharm. libro de pæonia adscribam. In summa inquit, resiccatoria ui fortiter prædita est, ut non desperarim etiam appensam ipsam puerorum comitiales sanare, uelut rationabiliter creditum est. Et sanè noui aliquando puerum, per octo menses in totum non correptum à comitiali morbo, ex quo radicem hanc gestabat, qui ubi fortè decidisset amuletum hoc appensum, statim correptus est. Et ubi rursus alterum Historia pueri comitialis.

appendissent, inculpate rursus habebat. Visum est autem mihi melius esse, ut rursus experientiæ gratia ipsi adimeretur, & quum sic factum fuisset, postquam rursus puer à morbo conuelleretur, magnam & recentem radicis partem ex collo ipsius appendimus, atq; hinc iam de cœtero perfecte sanus puer euasit, & non amplius correptus est. Consentaneū igitur rationi erat, aut diffluentes quasdam de radice partes, & deinde per inspirationem adtractas sic affectos locos sanare. Aut etiam aerem ipsum à radice mutari ac alterari. Hactenus Galenus. Reliqua ex Dioscoride.

DE MELISSOPHYLLO. CAP. XXVII.

Herbam, quam Græci dixerūt melisophilon,
Boragum nostri dicunt uulgariter illam.
Præ cunctis apibus gratißima dicitur herbis,
Nec gaudere magis ullius flore uidentur.
Contritis folijs apium si uasa perungas,
Non fugient, meliusq; facis si lac sibi iungas.
Vnguine cultores retinent exanima tali.
Auxilium præsens apium fert ictibus illa,
Ictus detrita tegitur si protinus herba.
Hocq; modo, quos uespa nocet uel aranea, curat.
Trita solet ueteres compescere cum sale strumas.
Hocq; modo uitijs dicunt succurrere fœdis.

Fœmina

Foemina purgatur decocto cum sale succo.
Tali discutitur inflatio noxia potu.
Eius si uiridis decoctio sæpe bibatur,
Atq; dysentericis prodest hæc cœliacisq;.
Asthmaticis eadem prodest, orthopnoicisq;.
Vlcera depurgat, morbos leuat articulorum.
Herba canis morsus superaddita cum sale curat.
Eius fomento decoctio menstrua purgat.
Ore retenta, solet dentis sedare dolorem.
Lumina purgari caligine Plinius inquit,
Eius si succo fuerint cum melle peruncta.

Melissophyllon uulgò Melissa dicitur, nec scio alium qui Boragum uulgò dici tradat, præter hunc autorem, Latini apiastrum, quidam etiam citraginē uocant, à citriorum malorum, ut Dioscor. indicat, odore. Melisophyllon autem & Melittæna, græcis ex eo dicta est quòd apes hac herba delectentur, uelut etiam hic mox à principio habetur. Galenus Melissophyllon consimilem marrubio uim habere tradit, sed tamen multo debiliorem, ut ob id etiam nemo ipsius usum expetat, quum marrubium ubiq; terrarum large suppetat. Quòd si tamē inquit, marrubium aliquando desit, melissophyllo pro ipso uti licet, sed ita ut sciamus uim ipsius defectuosiorem esse. Quæ porrò hic de ipso traduntur ex Diosco. ac Plinio sunt transsumpta.

Apiastrū. Citrago. Melittæna.

DE SENECIO. CAP. XXVIII.

Erigeron Græcis, nobis Senecio dictus.
Quòd canis similis uideatur flore capillis.
Nascitur in muris, & in hortis, & tabulatis,
Illius herbæ uis frigida dicitur esse.
In medicinali radix non ponitur usu.
Flores cum folijs tundens, infundito uini
Permodicum dulcis, & sic tepefacta tumori
Hæc simul apponas ani, uel testiculorum.
Addito thus istis, neruos & uulnera quæuis
Curabis facile, imposito cataplasmate tali.
Hæc eadem triti facient eius capitelli.
Potari prohibent, quia suffocare bibentem
Quidam confirmant, at contrà Plinius autor,
Ictericis quosdam potum donasse salubrem
Cum uino dicit: taliq; modo medicari
Morbis uesicæ plures ait ille probasse.
Et cordis uitijs illam, iecorisq; dedisse.
Torminibus quoq; cum passo, iuuisseq; potu
Hoc uarios morbos præcordia quæ patiuntur.
Et uiridis facit hæc, si tincta uoretur aceto.
Trita solet duras hæc cum sale spargere strumas.
Hanc circumscriptam si quis fodiat sine ferro,
Et tangat dentem uicibus tribus inde dolentem.
Vnaquaq; spuens uice, postq; reponens eodem,
Quo fuit orta loco, sic rursum uiuat ut herba,

Plinius

plinius ut dicit, non amplius ille dolebit.

Erigeron græcis nomen inde habet, quòd flores ipsius uere capillorum modo canescant, inquit Dioscorid. & eadem ratione Senecionem Latini dixerunt, quòd uere canescens senescere uideatur. Verum uox ipsa in hexametro contra naturam syllabarum ipsam cōstituentium posita est. Cæterum quod hic dicit potari eam prohiberi, quòd quidam affirment ipsum suffocare bibentem Dioscorides sic tradit: Potatæ tamen inquit lanugines recentes strangulationem inferunt. Contra autem Plinius producit, qui ad multos morbos exhibuerunt, & ipse Dioscor. totum caulem aqua coctum & cum musto potum stomachi dolores à bile ortos sanare dicit. Quòd uerò hic ait. Trita solet duras hæc cum sale spargere strumas, hoc ipsum indicat locum Plinij corruptum esse, in quo habetur, Tosta cum mica salis strumis illinitur, pro tosta itaq; legendum est trita, uelut hic Macer citat. Est apud me exemplar Plinij uetustum manuscriptum, quod Tota, habet, itidem corruptè ex trita uoce, ex tota igitur quidam postea tosta fecit. Sed & sequens remedium ad dentis dolorem sedandum in Plinio corruptum est. Nā & sine ferro legendum est, &, tangatq; ea ter dentem, uelut hic autor inde citat, sed uulgatæ lectiones omnes sic habent. Hanc si ferro circumscriptam ef

Erigeron. Senecio.

Plinij locus.

Plinij locus.

DE CHELIDONIA. CA. XXIX.

ESse chelidoniæ species geminæ referuntur
A medicis: species est maior prima uocata,
Altera uero minor oculis medicatur utraq;.
Cæcatis pullis hac lumina mater hirundo
(Plinius ut scripsit) quamuis sint eruta, reddit.
Hanc nasci dicunt auibus uenientibus illis,
Et desiccari solito dum more recedunt.
Indeq; nomen habet chelidonia: nanq; chelidon
Dicitur hæc uolucris Græcorum more uocari.
Floremis succus cum melle coquatur in ære
Igne leui, spumam donec proiecerit omnem,
Et quasi craßitiem mellis decoctio sumat.
Vtilius nullum dicunt oculis medicamen
Quos caligo nocet, si sint hoc sæpe peruncti.
Conteritur iuncto sibi radix eius anetho,
Et sic ictericis cum uino sumitur albo.
Dentis ut affirmant prohibet contrita dolorem,
De folijs eius contusis si cataplasma
Cum uino fiat, maculas abstergere dicunt.

Anisum pro anetho suppositum & uicissim.

Conteritur iuncto sibi radix eius anetho.) Dioscor. aniso pro anetho habet, quomodo etiã legendum puto, etiamsi utrisq; semen urinam ciendo ictericis prodesse poßit. Quòd adsequitur, dentis contritam ipsam prohibere dolorem, accipiendum non adpositam id præstare, sed contritã id est commanduca

ducata dentibus. Sic enim Diosco. habet.

DE ISATI. CAP. XXX.

ISatis à Græcis est uulgò gaisda uocata.
Non modicũ quæstũ præbẽs tinctoribus herba,
De folijs eius tritis factum cataplasma
Vulnera, magna licet, conglutinat: atq; cruorem
Illorum sistit, reprimit quoscunq; tumores.
Si cum melle teras hanc, sordida uulnera purgat.
Emundat maculas, & sacro subuenit igni
Oui si iungens albumen eam superaddas.

Isatis herba, ut Plinius putat ex genere lactucarum, ubiq; terrarum precipuè tinctoribust noißima est. Eam glastum quondam ab infectoribus fuisse appellatam Plinius testatur, hodie & Italis & Gallis Guadum dicitur, & inde etiam Germani wayt uocant. quondam autem gaisdam uulgò uocatam fuisse hic autor tradit, si modo hæc uox hic rectè legitur. Porrò alio loco gallicam uocem glasti esse indicat Plinius, quum ait: Similis plantagini glastum in Gallia uocatur, quo Britannorum coniuges nurusq; toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris nudæ incedunt, Aethiopum colorem imitantes.

Isatis. Glastum. Gnadum. Gaiso.

DE HELLEBORO ALBO. CAP. XXXI.

HElleborum geminas species testatur habere
Albũ quod sursum purgat, nigrũq; deorsũ.

Vim ſiccam calidamq́; tenent: & tertius illis
Eſt in utroq; gradus. nigro uiolentius album
Dicitur: unde prius dicam de uiribus eius.
Suppoſitum quocunq; modo depellit abortum.
Naribus attractus ſternutamenta mouebit
Illius puluis, capitis pellentia morbos.
Miſcetur confecturis quæ lumina purgant,
Et multum prodeſſe ferunt uitijs oculorum.
Pultibus admixtus mures puluis necat eius.
Et cum lacte datus muſcis eſt pernicioſus.
Dicunt per uomitum uarios educere ſumptum
Humores, ueteresq́; ferunt ſic pellere morbos.
Purgatur tali uomitu uertigo uetuſta.
Inſanisq́;, melancholicis ualet, atq; caducis.
Sæpeq́; curatur ſumpto lymphaticus iſto.
Hydropicis in principio mire medicatur.
Emundat lepram, tetanum fugat, atq; podagram.
Confirmat tremulos, redeuntia tormina curat.
Diuerſis uitijs ſtomachi, iſchiadiq́; medetur.
Et tuſsi ueteri, febribus ſuper omnia prodeſt
Quartanis, annis iam pluribus inueteratis.
Ingenti cura ſumpturum Plinius ipſum
Admonet, ut ſeptem ſe præparet ante diebus,
Humectisq́; cibis corpus bene temperet omne.
Nec ſerò cœnet, qui debet ſumere mane.
Et quando ſumet, iubet explorare ſerenam
Et calidam claramq́; diem, uentisq́; carentem

Obſeruare

Obseruare iubet: curam si spreuerit istam,
Passurum nimios affirmat eum cruciatus.
Helleborumq; iubet in pultibus antea coctum,
Aut in lente dari, sic dicit non nociturum.
Hocq; dari prohibet senibus, puerisq; tenellis,
Mollibus & timidis, animiq; uiris muliebris,
Et macris nimium dicit non accipiendum.
In succo ptisanæ, uel mulsa, panéue coctum
Sumere præcipiunt alij, sic utile dicunt.
Philo composito fertur scripsisse libello,
Qualiter helleborum sit nobis accipiendum,
Hippocratesq; suis Aphorismis istius herbæ
Solius meminit, quam nouerat utiliorem.
Plures scripserunt huius de uiribus herbæ,
Et quo sit sumenda modo docuere, quibusq;.
Non tamen inueni perplura uolumina uoluens
Vllum, qui certum pondus donare iuberet,
Illius dixisse satis se, credo, putabant,
Cum iuxta uires, ætates, tempora, dandum
Iußissent: mihi uerò satis non esse uidetur
Tutum, rem subitum quæ confert sæpe periclum,
Commendare dari cuiquam sine pondere certo.
Plinius ut scripsit, Themison donare solebat
Hellebori drachmas geminas. tribuisse sequentes
Bis binas etiam confirmat, non tamen ipse
Pondere quo iubeat sumi statuisse uidetur,
Cum tamen hellebori nigri iubeat dare drachmam,

Quatuor

Quatuor aut obolos mihi significare uidetur
Albi dimidium pondus tantummodo dandum:
Quod longè nigro uiolentius esse fatetur.

Helleborumq; iubet in pultibus antea coctum,
Aut in lente dari.) Sic quidem Plinius dicit, uelut etiam uetustũ exemplar nostrũ habet, Album è dulci datur, aptißimè uerò in lente aut pulte. Sed exemplaria uulgata lacte habent pro lente, falsò uelut etiam hic locus declarat.

Plinij locus.

Hippocratesq; suis aphorismis istius herbæ Solius meminit.) Rectè hoc de Hippocrate tradit. Nã nullius herbæ in aphorismis mentionem facit peculiarem, præter helleborum, in principio quinti libri sic inquiens: Conuulsio ex helleboro letalis est. De quo loco hic intelligendum est, ab autore præsenti in hoc adducto, ut periculosum hellebori usum uel Hippocratis testimonio corroboraret.

Hippocrates de helleboro.

Quatuor aute obolos.) Quædam exemplaria scrupulos pro obolos falsò habent. Verba Plinij de hac re hæc sunt. Ex aqua datur ad leniter molliendum aluum, plurimum drachma, modicè quatuor obolis. Habet autem drachma obolos sex, ut oboli quatuor sint duæ tertiæ drachmæ partes. Verum hoc ipsum autor hic non intellexit, putauit enim quatuor obolos drachmæ pondus excedere, nimirũ tres obolos in drachma supputans, id quod ex fine

Oboli VI. in drachma.

sequentis

sequẽtis capitis patet, ubi ait Hellebori nigri præcepit Plinius unam donari drachmam leuiter sic promouet aluum plus quàm bis binos obolos uetat accipiendum.

DE HELLEBORO NIGRO. CAP. XXXII.

Ellebrorum nigrum non est adeo uiolentũ.
Nec formidandũ sic quantũ diximus albũ.
Hoc quoq; præcipiũt ueteres in lente coquendum
Aut in iuscellis, sic insanis medicari
Assumptum dicunt, & sic prodesse podagræ.
Hydropicis, mota febre, dicitur auxiliari.
Miram semit opem sumpto paralyticus illo.
Et uarios bibitum morbos leuat articulorum.
Educit coleras uarias, & phlegma per aluum.
Elixaturæ potu caligo fugatur.
Duricias suppuratas factum cataplasma
Concoquit, & purgat, uacuat syringa callo
Infixus modicus radicis surculus eius,
Postq; dies geminos sit surculus ille remotus.
Ordea quam dederint contrito iunge farinam,
Hydropicus tumor appositus siccabitur istis,
Menstrua suppositum purgat, depellit abortum.
Auditum reddit, si surdis auribus istud
Imponas, & post triduum, biduumúe repellas.
Appositum tollit maculas eius cataplasma.
Emundat lepras, scabies quascunq; repellit.

Ore diu tentum quo coxeris illud acetum,
Dentis non modicum dicunt ſedare dolorem.
Hellebori nigri præcepit Plinius unam
Donari drachmam, leuiter ſic promouet aluum.
Plus quàm bis binos obolos uetat accipiendum.

Hoc quoq; præcipiunt ueteres in lente coquendum, Aut in iuſcellis.) Quædam exemplaria uiſſellis habent falſò, & nulla huc pertinente ſignificatione. Iuſcellis enim legendum eſt diminutiua uoce à iuſculis. Sic enim Dioſco. docet. Simul coquitur inquit, cum lente & iuſculis quæ purgationis gratia ſumũtur. ζωμὸς autẽ ea iuſcula uocat. Reliqua recte habent, uelut Dioſco, ac Plinius prodiderunt. Porrò appellatio ἐλλεβόρων ex eo facta uidetur, quòd ciborum recrementa & commeſta exigant, hoc eſt, ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν τὰ βορὰ. Sicut ueratrũ ego appellatũ arbitror, ſi modo eſt aliquod etymon exquirendum, quòd uerrat & expurget atra. quanquam alij ab eo quòd mentem aduertat, & ingeniũ excitet, dictum eſſe credere malint.

Iuſcella.

Hellebor9 unde.

Veratrũ unde.

DE VERBENA. CA. XXXIII.

VErbenam hierobotanem, periſtereonq;
Appellant Græci. ſpecies hæc fertur habere
Binas, effectus eſt idem penè duabus.
Cum uino iuuat ictericos ſi ſæpe bibatur.
Peſtiferos morſus curat ſuperaddita trita

Cum

Cum uino renouanda quidem per quatuor ista
Est medicina dies, oris benè uulnera purgat
Illius succus tepidus si uoluitur ore.
Hoc quoq; facta recens herbæ decoctio præstat,
Hac etiam quæuis putredo repellitur oris,
Si tepefacta diu uoluatur fauce sonora.
Glutinat herba recens uulnus superaddita trita.
Occurrit cunctis cum uino sumpta uenenis.
Quæ furit alternis febris accedendo diebus,
Pellitur hac, tribus assumptis radicibus eius.
Cum totidem folijs potentur aqua resoluta,
Ista prius patiens, quàm frigus sentiat illum.
Hocq; modo febribus quartanis illa medetur.
Bis binis folijs cum tot radicibus haustis,
Illius in uino si sit decoctio facta,
Conuiuas hilares inter conuiuia sparsa
Reddere narratur, ut iam præscripta buglossa.
Hanc herbam gestando manu, si quæris ab ægro,
Dic frater quid agis? benè si responderit æger,
Viuet, si uerò malè, spes est nulla salutis.
Ex hac compositam quidam iussere coronam
Apponi capiti causa quacunq; dolenti,
Sic dicunt illam celerem conferre medelam.
Plinius affirmat hanc omnibus esse salubrem
Visceribus, lateris morbis, iecorisq; querelis.
Pectoris & uitijs, & præcipuè medicari
Pulmonum causis hanc asserit ille phthisiq;.

Paritidas reprimit adipi commixta uetusto.
Herbam, cui nomen folijs de mille dedere,
Betonicamq; pari uerbenæ pondere iunge.
Hæc mixta potentur aqua, nullum medicamen
Vtilius credunt illis, quos calculus angit.
Non modicum laudare magos hanc asserit herbam
Plinius, hanc cunctis dicunt obsistere morbis.
Et quod quisq; petet hac impetrare perunctum.
Sic & amicitias captari posse potentum,
Et pelli febres, & plurima talia fingunt.
Quæ quamuis natura potens concedere posset,
Vana tamen nobis, & anilia iure uidentur.

Verbena. Verbenaca. ἱερὰ Βοτάνη. περιστερεών.

Verbenam & Verbenacam appellant Latini herbam, quam Romanorum quondam legati ad hostes ferre solebant, uel fœdera percussuri, uel bella indicturi. Græcis eadem ἱερὰ Βοτάνη, id est sacra herba dicta est, propterea quòd in lustrationibus ac expiationibus amuleti uice commoda esset adalligata, uelut Diosc. inquit. Iidem etiam περιστερεῶνα uocant, ex eo quòd columbæ, quas Græci περιστερὰς uocant, libenter in ipsa conuersentur. Sed ridiculum penitus referam: Nuper quidam græcorum medicorum Interpres, pro Verbenaca, nidum hirundinis conuertit, ita nimirum περιστερεῶνος uocem reddens. At uerò neq; hierobotanes, neq; peristerionis uox in Hexametrum recipitur, uelut hic autor

usurpa-

usurpauit. Poßit tamen uersus sic rectius legi: Verbenacam hierebotaneumq; peristereona &c. &c.

Quæ furit alternis febris, accedendo diebus.) Diosc. non tres radices cum totidem folijs in tertianis, neq; quatuor radices cum quatuor folijs in quartanis, dari iubet, ad quid enim tantam radicum molem quis assumat? Sed tertianarijs, tertium à terra geniculum unà cum circumsitis folijs potandum dari dicit, quartanarijs uerò quartum.

Herbam cui nomen folijs de mille dedere.) millefolium putat Myriophyllon græcis dictum, ipsum autem medicamentum experimento compertum ab autore esse uidetur. Millefolium.

DE STRYCHNO. CA. XXXIIII.

Herbam quã Græci strygnon dixere, Latini
Maurellã dicunt, uis eius frigida ualde est.
Dicitur auriculæ mire sedare dolorem
Illius succus, si sensim funditur intus.
Aegylopi strychni dicunt cataplasma mederi,
Istud idem credunt capitis prodesse dolori.
Vna cum strychno si sal, panisq; terantur,
Parotidas reprimet cataplasmatis addita more,
Srychni prurigo depellitur illita succo.
Succus suppositis fluxum stringit muliebrem.
Contritis eius folijs coniunge polentam,
His superappositis, sacer ignis, & herpeta mordax

Dicitur expelli ſi uero iunxeris iſtis
Argenti ſpumam, cæruſſam, oleumq́; roſatum,
Fortius & melius prædictum ſit medicamen.

Strychnos Solanum. Maurella.

De Strychno hortenſi hæc omnia ex Dioſoride transſumpta ſunt, Solanum Latini uocant, uulgò uerò ſolatrum dicitur, et Morella, ſiue ut hic ait Maurella, ob atrum acinorũ ipſius colorem Mauros referentem. Sunt autem etiam alia ſolani genera, uelut Solanum halicacabum, uulgò Alkekengi appellatũ, et ſolanum ſomniferum, & Solanum furioſum, de quibus hic nihil agitur, docuerunt autem Dioſc. Plinius, Galenus, & alij.

DE IVSQVIAMO. CA. XXXV.

Iuſquiamum Græci, quam noſtri caniculatam
Dicunt: huic herbæ uirtus eſt frigida ualde.
Tres habet hæc ſpecies: ſemen profert prior album,
Altera ſubruffum producit, tertia nigrum.
Nobilior reliquis eſt ſemen quæ gerit album.
Pro quo, ſi deſit, mos eſt apponere ruffum.
Nigrum uerò frequens medicorum reſpuit uſus.
Iuſquiami folijs contritis, adde polentam:
Hoc adhibendo potes quoſuis curare tumores,
Sic mire calidam poteris ſedare podagram.
Auribus infuſus uermes ſuccos necat eius,
Illarumq́; ſolet uarios lenire dolores,
Ore diu tepidum ſi contineatur acetum.

Quo

Quo sint decoctæ radices illius herbæ,
Dicitur immodicum dentis placare dolorem.
Expressus succus contriti seminis eius,
Viscosum, calidumq; potest compescere reuma,
Si fuerint oculi patientis sæpe peruncti.
Seminis illius obulus, cum semine mixtus
Meconis, pariter cum mulsa, sumitur illis
Vtiliter, fluxum matricis quæ patiuntur.
Et dicunt hæmoptoicis sic posse mederi,
Vel quocunq; modo sanguis iactetur ab ore.
Dicitur hic potus medicari sæpius haustus.
Cum uino tritum semen, cataplasmaq; factum,
Mammas, & testes dicunt curare tumentes.
Emplastris multis apponitur, antidotisq;.
Infert, sicut olus hæc herba comesta, maniam.
Præstat idem succus in quouis uulnere fusus.

Neq; Iusquiamus græca est appellatio, neq; caniculata latina. Sed hæc quidem uulgaris est & barbara, neq; apud alium quempiam præter hunc scriptotem, temere reperitur. Illa uerò ex græca corrupta. Nã ὑοσκύαμος græcis dicitur hæc herba de qua hic agit, quasi faba suilla, propterea quòd ex eius esu sues syluestres conuulsionem ac dissolutionem incurrant, Latini uerò Apollinarem & Altercum appellant. Medicamenta ex Diosco. ac Plinio sunt transsumpta. Cæterum quod in fine ait, hanc

Iusquiamus. Caualicuta. ὑοσκύαμος.

herbam uelut olus comestam maniam inferre, hoc est insaniam facere, hoc ipsum Diosc. his uerbis tradit. Folia cocta uelut olus & comesta tryblij copia mediocrem mentis perculsionem efficiunt. Est autem Tryblium eadem mensura quæ Hemina et Cotula Paulo Aeginetæ, hoc est, sextarij dimidiū. Verū Plinius, folijs inquit constat corrumpi mentem, si plura quàm quatuor bibantur. Porrò Meconis semen, papaueris appellat, hoc est μήκωνος σπέρμα.

Apollinaris.
Altercū.
Tryblium

DE MALVA. CAP. XXXVI.

Dixerunt maluam ueteres quòd molliat aluū,
Esse cacostomachā Sextus niger asserit illā,
Atq; Dioscorides, tamen interioribus ambo
Sumptam sicut olus multum prodesse fatentur.
Et sic uesicæ dicunt illam medicari.
Sicq; uenenosis occurrere potibus illam.
Hi quoq; confirmant maluæ folijs, salicisq;
Ex æquo tritis, citius, meliusq; cruentum
Sanari uulnus, emplastris quàm preciosis.
Addunt authores ipsi, quòd malua potenter
Conquassata iuuat, adipi commixta uetusto.
Vnius caulis radix admota dolori
Dentis, sedat eum: uenerem stimulare refertur
Hæc eadem, femori si lino annexa geratur.
In lana nigra tectam si gesserit illam

Fœmina

Fœmina. mammarum dicunt occurrere morbis.
Scripsit abortiuam Thebana at Olympias illam,
Si resolutus adeps miscebitur anseris illi,
Et sic subdatur ueluti pessaria uuluæ.
Contritis folijs illius cum sale pauco,
Aegylopas pellit, succoq; medeberis eius
Puncturis apium: cui si coniungis oliuum,
Corpus & inde linas, apium te nulla nocebit.
Decoctam lotio capiti superaddito maluam.
Sic furfur pelles nocuum, tristes & achoras.
Decoctis folijs eius si iungis oliuum,
Extingues ignem sacrum cataplasmate tali.
Et combusturis illo bene subuenis ignis.
Duricias uteri ipsius decoctio mollit.
Intestinorum causis, matricis, & ani,
Hoc etiam mirè prodest, si subditur illis.

An malua latinis à mollienda aluo dicta sit, fortaßis dubitari poßit, Græcis certe Μαλάχης appellatio, non aliunde ducta uidetur. Malua. Μαλάχη

Contritis folijs.) Dio. non simpliciter contritis, sed commanducatis habet, & addito melle. Sic enim ait, folia cruda imposita, et cũ modico sale cõmanducata ægilopia destruunt cum melle. Sunt autẽ Aegilopia itemq; Aegilopes abscessus inter magnũ oculi angulum & nasum, qui ruptus et negligentius tractatus in fistulã abit usq; ad os ipsum progredientẽ. Aegilopes

MACRI AVT POTIus incerti autoris De plantis peregrinis. Liber III.

DE PIPERE. CAP. I.

Carmine iã dictis aliquot uulgaribus herbis,
Nunc species illas, quas iam cunctis prope notas
Vsus uendendi fecit, tentabo referre.
Atq; prius piperis, quod notius ipsa coquina
Quàm medicina facit, uires puto discutiendas.
Virtutis siccæ piper asseritur, cadidæq;.
Tertius esse gradus conceditur huic in utroq;.
Tres sunt huic species, album, longumq; nigrũq;.
Sed quia sunt geminæ medicis tantummodo notæ,
De specie nigra dicam quædam mihi nota.
Crudum uel coctum sumptum uel melle iugatum,
Vim digestiuam stomachi iecorisq; iuuabit.
Morsus pestiferos curat, fastidia tollit.
Occurit uarijs thoracis sæpe querelis.
Quodq; mouere solet frigus perihodica febris
Compescit, febris si sumitur ante tremorem.
Cum lauri baccis, uel cum folijs bene tritis,
Cumq; mero tepido potatum, tormina sedat.
Et scrophas reprimit admixtum cum pice dura,
Et super appositum: recte quoq; iungitur illis,
Quæ purgare solent oculos caligne nigra.

Admixtũ

Admixtum nitro maculas cataplasmate delet.
Vsti stercoris humani cum puluere tritum
Ana iunge piper, & sic superaddito cancris.
Experti nihil utilius hoc puluere dicunt.
Nemo potest omnes piperis describere uires.
Nanq; piper fermè medicamina cuncta requirunt,
Antidotisq; solet prætiosis pluribus addi.
Hinc puto tam paucas laudes de simplice dictas,
Innumeris quòd sit hoc dignum laude medelis.

Vsus uendendi fœcit.) Quædam exemplaria medendi pro uendendi habent, sed falsò, Nam primum medendi uox in uersu hoc loco stare non potest. Deinde uendendi usum dixit, relatione facta ad herbas superioribus libris traditas, quæ ut uulgares & ubiq; expositæ non uenduntur. Aliàs in medendi usum non minus uenientes quàm peregrinæ species, de quibus hoc libro tractat.

Tormina sedat.) Tormina dicit τοὺς στρόφους Diosco. appellatos, στρόφοι enim propriè tormina uocantur, quibus intestina diuexamur ac torquentur Sed quidam δυσεντερίας uocem per tormina reddunt non rectè, quum hæc ulceratio sit intestinorum, & non simplex tormentum. paulò post per maculas uitiliginis speciem indicat, quæ ἀλφὸς græcis dicitur, ἀπὸ τοῦ ἀλφαίνειν, hoc est ab eo quod corporis colorem immutet, ut Aëtius sermo. 11.

στρόφοι.
Tormina.
ἀλφός.
ἀλφαίνειν.

cap. 132. dit.

ἀνὰ. Ana iunge piper.) Quædam exemplaria Vnà habent, sed uera lectio est ana, Est autem ἀνὰ particula græca, quæ æqualitatem & par pondus significat, et ad duas aut plures res adijci solet, etiam hodie uulgò ab his qui officinis medicamina describunt, usu ex græcis transsumpto. Ipsum porrò medicamentum quod hic tradit, experimento compertum ab autore uidetur, Veteres non habent.

DE PYRETHRO. CAP. II,

Est pyrethrũ calidũ siccũ quoq;, quart9 in istis
Est gradus, excruciat dẽtes si frigidus humor
Masticet hoc patiens, teneatq; diutius ore.
Et iuuat admixto si gargarizetur aceto.
Hocq; modo tumidã reprimit de phlegmate linguã.
Sic uuam releuat humoris pondere pressam.
Et multis alijs uitijs sic subuenit oris.
Non modicum prodest sumptum cũ melle caducis.
Sicq; leuare solet morbum qui membra resoluit.
Suspensum collo pueris prodesse caducis
Dicitur, & solo succurrere fertur odore.
Ex oleo quo decoquitur si corpus inungas,
Ante febris motum, tollet, minuetq; rigorem.
Renum sæpe grauem fugit unguen tale dolorem.
Miram sentit opem paralyticus inde perunctus.
Non leuiter manibus fuerit si sæpe fricatus.

Vnguine

Vnguine si totum corpus mulcebitur isto,
Largus per poros sudor procedet apertos,
Membrorum solet hoc quemuis curare stuporem.
Et corpus seruare potest à frigore tutum.
Et medicamento soluetur tetanus isto.
Tantundem prodest si tritum soluis oliuo,
Sicq; fricando locũ quem uis medicare perungas.

Pyrethrum ob calidam uehementer ac ustoriam facultatem, omnibus morbis frigdis & à pituita ortis conducit. Sic enim & dentes ex frigore dolentes, tum commanducatũ, tum collutum iuuat, & rigores ex oleo illitum dissoluit: stupefactisq; ac resolutis eodem modo prodest. Appellatio porrò ab igneo feruore ipsi indita uidetur. unde etiam Nauplium Euboicum Philo ipsum apud Galen. li. 9. cap. 4. de compos. phar. secundum locos appellat, propterea quòd uelut exponit Galenus, Nauplius magnis pyris imcensis circa Euboiæ portum, multos græcorum decepit, ut perirent tanquam ad regionem bonos portus habentem applicantes. Ab igne itaq; unde etiam pyræ dictæ sunt, pyrethrum appellationem inuenit.

Pyrethrũ unde.

Nauplius Euboicus.

DE GINGIBERE. CAP. III.

Gingiber atq; piper æquales in medicina
Dicunt, hac causa taceo de uiribus eius.

Ginge-

Gingiberis radix in uniuersum piperis facultatē aßimilis est, inquit Dioscorides. Galenus fortiter quidem calfacere zingiber. (Nam etiam sic scribitur) tradit, sed non primo mox occursu, uelut piper, ut ex hoc non tam tenuium partium esse uelut piper cognoscere detur.

DE CYMINO. CAP. IIII.

ESSe putant medici calidū siccumq́; cyminū.
Tertius est illi gradus in uirtutibus istis.
Assumptum quocunq; modo depellere tradunt
Viscera uexantē uentum, stomachumq́; grauantē,
Et digestiuum stomachi iecorisq́; calorem
Excitat, & ueneris credunt inhibere furorem,
Et fluxum uentris in aceto stringere coctum.
Hoc orthopnoicis miram præstare medelam
Experti dicunt cum pusca sæpius haustum.
Atq; uenenosis cum uino morsibus ipsum
Præbet opem, triumq́; fabæ cum polline, iuncto
Melle, repente solet testes curare tumentes
Appositum, sistit cum pusca menstrua sumptum.
Dicunt pallentem dare mansum sæpe colorem.

Cuminū. Cyminū. Cyminum siue Cuminum media breui non ut hic habetur longa ob uim ciendi urinas & discutiendi flatus, etiam Veneris impetus cohibere par est, qui ex flatuum collectione exurgunt. Cætera ex Diosc. sumpta

sumpta recte expressa sunt. Verum quòd dicit tritum cum fabæ polline & iuncto melle, testes curare tumentes, Id ipsum Diosco. aliter habet. Nimirum testium inflammationibus ipsum auxiliari cum uua passa & lolij farina aut cerato impositum. Deinde non mansum solum pallentem colorem efficere Diosc. ait, sed tum potum, tum illitum.

DE GALANGA. CAP. V.

Phlegmonē stomachi sumptū galanga resoluit.
Et si phlegmaticus fuerit, corroborat ipsum.
Inclusum uentum sumptum fugat interiorum.
Vim digestiua iuuat hoc, colicisq; medetur.
Oris non modicum mansum commedat odorem,
Augmenta sumptum ueneris, renumq; calorem.

Galanga radix nec apud græcos, nec latinos ueteres medicos hoc nomine reperitur. Autor pandectarum medicarum, eandem cum cypero Babylonico esse dicit. Idem uires eius ex Serapione tradit, quas omnes in his uersibus compræhensas habes. Hodie nihil uulgatius aut notius galanga est, in omnibus his usibus hic præscriptis, & præsertim pituitoso uentriculo, quē hic phlegmaticum appellat. Sicut phlegmonē pituitosam collectionē. Vsurpat autē Galanga uocem genere neutro. Aëtius serm. 11 cap. 13. in quodā pharmacho rhenali, ζαδώρ et γαλαγγᾶ, habet

Galanga.

Cyperus Babylonicus.

Phlegmone.

habet, utrãq; uoce uelut barbara & indeclinabili utens.

DE ZEDOAR. CAP. VI.

ADprimè sumptum zedoar obstare uenenis
Affirmant, et reptiliũ morsus leuat haustũ,
Sumptum confortat stomachum, ructusq; salubres
Commouet, & crebro fastidia comprimit usu.
Antiquum stomachi dicunt curare dolorem,
Illud si patiens ieiuno masticet ore,
Et sic infectam sensim uoret ille saliuam.
Lumbricos uentris depellere dicitur haustum,
Allia quem faciunt fœtorem, pellit ab ore,
Et nimium bibiti uini depellit odorem.

Ζαδώρ. Zedoaria. Et huius radicis uocem autor hic in neutro genere usurpat, Aëtius autem & Paulus ζαδώρ & ζαδουρὰ appellant. Vulgò autem zedoaria uocatur. Vires eius ex Serapione à Pandectario proditæ hic recensentur. Sumitur in multas compositiones apud Aëtium & Paulum, uulgò etiam in antidotos quæ aduersus pestem populariter grassantem parantur. à multis etiam, ut ne à pestilente aëre lædantur, commanducatur.

DE CARYOPHYLLO. CAP. VII.

CAriophylũ dicunt calidũ, siccumq; secũdo
Esse gradu, iecur et stomachum corroborat ipsum
Et

Et fermè cunctis ualet interioribus haustum.
Vim digestiuam mire iuuat, abstinet aluum.
Accendit uenerem, si drachmæ pondere tritum
Potatum fuerit cum uaccæ lacte recenti.
Vim memorem cerebri confortat sæpius haustum.

Nec caryophylli Dioscor. & Galenus mentionem fecerunt. Plinius tamen etiam id in Indico luco gigni asserit, & odoris gratia aduehi. Quæ hic eius recensentur uires, Serapion ex Rasi tradit ex quo hic autor transsumpsit. Dixit autem, abstinet aluum, pro cohibet & adstringit, & ἐπέχει κοιλίαν. Meminerunt autem caryophylli Aëtius & Paulus. Sed adscribam Pauli de ipso uerba, quo res hodie uulgatißimi usus, etiam illis temporibus nota fuisse cognoscatur. Caryophillum inquit, non iuxta nomen, etiam essentiam habet, sed ex india uelut flores quidam festucacei arboris cuiusdam nigri, ferè digiti lõgitudine afferuntur, aromatico odore præditi, & acres, ac subamari, calidiq; ac sicci circa tertium fermè ordinem, qui multi usus sunt tum in obsonijs, tum in medicamentis. hæc Paulus, & sanè indicare uidetur καρυόφυλλον quasi nucis folium appellatum esse, quum ait in essentia ac substantia ipsius nihil esse, quod appellationi respondeat.

Abstinere aluum.

Caryophyllum unde dictum.

DE

DE CINNAMOMO. CAP. VIII.

Cinnama tres species dicũtur habere, sed harũ
Est pretiosa magis quæ plus subtilis habetur,
Et quæ plus mordet, mixta dulcedine linguam.
Humores stomachi siccat, corroborat ipsum,
Et facit acceptas ut digerat ocyus escas.
Sumptum curat epar, lotiũq;, et menstrua purgat.
Humida tußis eo sedabitur, atq; catarrhus.
Hydropicis speciem, cui præbent tympana nomen.
Sumptum nõ modicum reprimit, renumq; dolorẽ.
Reptilium morsus curat: si iungitur illis
Quæ curant oculos, humores siccat aquosos.
Si bene contritum forti miscetur aceto,
Liberat appositum tetra lentigine uultum.
Sicq; iuuat morbum qui ducit ab impete nomen.
Crassa magis species fluxus hæmorrhoidarum
Stringit, aqua gelida bene si contrita bibatur
Tempore quo nondum patiens ieiunia fregit.
De specie geminas hac quærit potio drachmas.

De Cinamomo quod etiam cinnamum dicitur, docuere Diosco. Galenus Plinius & reliqui. Vires eius ex Diosco. magna ex parte sumptæ sunt. qui tamen inter cætera simpliciter ad hydropas facere dixit, hic uerò ei speciei, quæ priuatim Tympanites appellatur,

Hydropis species tres.

appellatur, commodare dicit. Sunt autem tres species hydropis: Prima Ascites, ab utre appellatur, secunda Tympanites, à tympani similitudine. Tertia Sarcites et leucophegmatias græcis, nobis aqua subtercus. Vide Aëtium sermo. 10. cap. 20.

DE COSTO. CAP. IX.

Costi sunt geminæ spēs, grauis una, rubensq;
Est, et amara nimis, hæc Indica dicitur eße.
Altera uerò leuis, nec amara, colore subalba.
Hanc Arabes mittunt, prior utilior medicinæ.
Vrinas purgant, & eis obstantia pellunt.
Splen curant & epar, laterisq; fugare dolorem
Dicunt, cum uimo tepido si sumpserit æger.
Menstrua purgabunt si se suffumiget illis
Fœmina, sic etiam uuluæ sedare dolorem
Dicunt, aut ex his sibi si peßaria subdat.
Lumbricos pellunt, purgant lentigine uultum.
Si tritis cum melle linas, ueneremq; mouere
Dicuntur, si sint cum mulsa sumpta tepenti.
Ex oleo, costum quo coxeris, illine quemuis
Ante febris typum, reddes à frigore tutum.
Subuenit ischiadi, membrisq; stupentibus unguen.
Antiquum uulnus citò purgat puluis eorum.

Diosc. tres Costi species prodit, Arabicam, Indicam & Syriacam. Præfert autem Arabicam Indi- Costi III. species.

cæ, contra quam hic autor facit, deinde etiam Arabicam albam ac leuem Dioscor. facit. Indicam uerò item leuem sed nigram, Syriacam autem grauem ac buxei coloris.

Menstrua purgabunt.) Hoc Diosc. sic tradit. Vim habet ducendi menses, & auxiliarem ad uteri affectiones, & in subdititijs glandulis & in perfusionibus, ac fomentis. Glandulas autem supposititias dixi, προσθέμαῖα ab illo appellata, hoc est appositiones, quas hic pessaria dixit. Et sunt formæ medicamenti ad tali figuram effictæ, quæ uuluis apponi ac subdi solent uarijs de causis. Eædem et peßi uocantur. Pessus autem et pessarium talum significant.

Glandulæ supposititiæ. προσθέμαῖα. Pessaria. Peßi.

Cum mulsa sumpta tepenti.) Diosc. cum mulso dicit, hoc est μετ' οἰνομέλιτος, id est uino mulso. Mulsa autem est ὑδρόμελι, id est aqua mulsa.

DE SPICA. CAP. X.

ESSE gradu primo calidam, siccamq; periti
Testantur spicā, quæ dicitur Indica nardus.
Confortat potata iecur, stomachiq; dolores
Mitigat, & renes illius apozema purgat,
Vesicam iuuat, urinas & menstrua pellit.
Ictericis prodest, nocuisq; humoribus obstat
Quos caput ad pectus transmitttit sæpe per uuam.
Puncturas aufert, & morsus interiorum.
In stomacho clausum solet hausta repellere uentrem.

Matricis

Matricis nimium restringit subdita fluxum.
Cum gelida si detur aqua, sedare tremorem
Dicitur hæc cordis, & nausea sistitur inde.
Excitat hæc uenerem cum sapæ sumpta liquore.
Duricias uteri ast elixatura resoluit
Eius fomento per partes inferiores.
Lumina si tepida foueantur sæpius illa,
Affirmant acri prurigine libera reddi.
Palpebræq; pili benè confortantur eadem,
Est naridi species, quæ celtica spica uocatur.
Celtarum tantum quòd nascitur in regione,
Omnia quæ nardus ualet Indica, dicitur ista
Posse, licet uires uideatur habere minores.

Nardus Indica, quæ & nardi spica, primo gradu calida ab Aëtio & Paulo traditur. Verum Galenus tertio calfacere ipsam dicit, exsiccare autem secundo perfectè, nisi pro τρύτεῳ apud Gale. legendum est πρώτεῳ, quod mihi ualde uerisimile appa ret, ex eo quod sequitur. Compositam ipsam esse ex substantia sufficienter adstringente, & acri calida non multa, & modica quadam subamara. Propter quas sanè facultates, præscriptos hic ab autore effectus habet, qui ex Dioscoride ac partim Galeno sunt transscripti. — *Nardus Indica.* — *Galeni locus.*

Sedare tremorē dicitur hæc cordis.) Tremorē cordis dixit καρδιωγμὸν Dios. appellatū. Nō est aūt — *Cordis tremor.* — *καρδιωγμός.*

καρδιωγμός. καρδία. aliud καρδιωγμός, quàm oris uentris, quod etiam stomachus dicitur, dolor & punctura, καρδίαμ enim ueteres omnes non cor, sed os uentris dixerunt. Sed adscribam de hac re uerba Galeni ex libri octaui cap. 1. de compos. medicamentorum secundum locos. Sæpenumero iam dictum est, quòd medici in more habent os uentris, uelut cardian, hoc est cor, sic etiam stomachum appellare. Verum quondam frequentior cardiæ appellatio erat: nunc autem

Cardialgia. ab ea adhuc restat cardioßin, & cardialgia, quibus uocibus non cordis, sed oris uentris dolores significantur. Hactenus Galenus. Porrò cordis tremor

καρδίας παλμός. propriè καρδίας παλμός græcis appellatur.

Nardus Celtica. Omnia quæ nardus ualet indica.) Galenus hoc sic tradit, Nardus celtica inquit, consimilis quodã modo secundum genus facultatis est cum Indica ac Syriaca, uerum debilior est ad omnia præterquam ad ciendas urinas, calidior enim illis est, minus uerò adstringit. Porrò uersum, Excitat hæc uenerem cũ sapæ sumpta liquore. aliqua exemplaria sic habent:
Excitat hæc uenerem cum cepæ sumpta liquore.

Sapa. Sed falsò uelut opinor. Est autem sapa mustum decoctum ad tertias partes, Columella autore.

DE THVRE, CAP. XI.

THVS

Thus calidū, ſiccumq́; gradu dixere ſecūdo.
Lumina clarificat, lachrymo ſit ſoluitur oui
Contritum uel fœmineo cum lacte tepenti.
Acri cum uino tritum, pice, lacteq́; mixtis,
Vulnera præcipue curare recentia dicunt.
Pingui porcino mixtum medicabitur uſtus.
Ad mixtum melli paronychia decutit unguis.
Thus bene contritum, uinoq́; tepente ſolutum,
Affirmant auri multum prodeſſe dolenti.
Tritum cum creta cimolea, atq; roſato
Permixtum, mammas dicunt curare tumentes,
Nil credunt hæmoptoicis magis auxiliari,
Admixto uino ſi ſumatur uel aceto.
Thus cum lacte terens muliebri, ſi ſuperaddas
Vlceribus, fieri quæ ſæpe uidentur in ano,
Aut alio quocunq; loco, medicabitur illis.
Huic aloen iungens, lachrymamq́; albuminis oui,
Sic ut ſit ſpiſſum, ſectæ ſuperaddito uenæ,
Aut his uulneribus nimio quæ ſanguine manant:
Nec ſoluas niſi comperias diuiſa coiſſe.
Si ſit opus, medicamen idem ſuperadde priori,
Donec firmari ualeat ſolidata cicatrix.
Affirmant melius nil ſiſtere poſſe cruorem.
Vim memorem cerebri proprio confortat odore,
Origano iunctum ſi quis commaſticet ipſum,
Humores capitis nocuos per ſputa repellit.
Alleuat iſta grauem capitis purgatic linguam.

Anseris aut anatis mixta pinguedine thauri,
Fit cataplasma ualens membris, quæ læserit ignis.

Thuris lachrymam calidam quidem esse secundo gradu, siccam uerò primo Galenus tradit, quia modicam quandã adstringendi uim poßidet, quã quum palam et euidenter habeat cortex ipsius, propterea sanè hic præclarè siccat, uelut in secundo ordine siccantium existens.

Thuris cortex.

Admixtum melli paronychia decutit unguis.)

παρωνυχία.

Inter cæteras thuris uires etiam hanc ex Dios. transscripsit, quòd thus cum mixtum παρωνυχίας sanat. Sic enim Diosc. habet: Verum exemplaria omnia panaritia habebant, quomodo etiam uulgò appellare solent, corrupta uoce ex græca παρωνυχιῶν. Est autem παρωνυχία absceßus iuxta radicem unguis consistens. Latini reduuias appellant, aliqui tamen πτερύγια sic reddunt. Hic tamen paronychia genere neutro plurali numero dixit. Quare uersus rectius sic legatur. Admixtum melliq; paronychias leuat unguis.

DE ALOE. CAP. XII.

Svnt aloes geminæ species, quæ subrubet, et quæ
Intus sicut epar cum frangitur, hæc epatitis
Dicitur, & magnas habet in medicamine uires.
Vilior est piceo quæ fracta colore uidetur.

Phlegmate mūdificat stomachū, caput, articulosq́;
Leniter humorem nocuum purgando per aluum.
Ictericos purgat, iecoris iuuat interiora.
Vulnus quodq; recens putredine purgat ab omni
Illius iniectus puluis, siccandoq́; sanat.
Præcipuè ueretri dicunt, et testiculorum
Vlcera curari, uel uulnera puluere tali,
Si soluatur aqua iuuat apostema labrorum,
Et naris super appositum, nec non oculorum
Liuoremq́; fugat sic circa lumina factum.
Acri cum uino miscens, oleoq́; rosato,
Vnge dolens caput et frontem, mireq́; iuuabit.
Vnguine pruritus sedabitur hoc oculorum.
Cum uino bene contritum, cataplasmaq́; factum
Confortat, retinetq́; pilos quoscunq; cadentes.
Linguæ, gingiuis, uitijs quoq; subuenit oris,
Si fricentur eo cum uino melleq́; trito,
Hoc sumptum per se uentrem non soluit acute.
Esse tamen stomacho putat Oribasius aptum,
Cum lædant illum soluentia cætera uentrem,
Illius geminas cum mulsa sumere drachmas
Idem præcepit, choleram sic, phlegmaq́; purgat.
Vnaquaq; die post cœnam sumere dixit
Vtile tres eius pilulas, binásue, uirentis
Cum succo caulis formatas, ut faba grossas,
Aut cicer, humores nocuos cum stercore purgat,
Non corrumpendo stomachum, nec uim faciendo.

Purgatus pilulis fuerit qui sæpius istis,
Vix unquam capitis uexabitur ipse dolore.
Et nihil est oculis, mihi crede, salubrius istis.
Si uerò duram uis soluere largius aluum,
Partibus est geminis pars admiscenda terendo
Vna diagridij, sic apta solutio fiet.

Precipuè ueretri dicunt & testiculorum vlcera curari.) Quædam exemplaria habent ueneris, pro ueretri, sed falsò, uelut ex Diosc, apparet, qui hunc totum locum unà cum præcedenti sic habet. Sicca inquit inspersa aloe uulnera glutinat, & ulcera cicatrice includit ac compescit. Pudenda autem exulcerata priuatim sanat. Per pudendorum itaq; hoc est αἰδοίων uocem, & ueretrum, & testes accipiuntur.

[Margin: αἰδοῖα.]

[Margin: Tonsillæ.]

Linguæ, gingiuis &c.) Diosc. hoc sic: Ad tonsillas & gingiuas & omnia oris uitia conuenit cum melle & uino. Per tonsillas autem & pars, & eiusdem partis affectio significatur, quemadmodum etiam græcis per παρισθμίων uocem.

[Margin: παρίσθμια.]

[Margin: Aloe stomacho cõmodum.]

Esse tamen stomacho putat Oribasius aptum.) Hoc ipsum prior Galenus prodidit, qui aloen pharmacum stomacho commodum ut si quod aliud, esse testatur. Ipsumq; ex numero esse eorum medicamentorum dicit, quæ græci ἐκκοπρωτικὰ uocant, ab eo quòd stercora ex aluo subducãt. Dios. autẽ etiam

[Margin: ἐκκοπρωτικὰ]

alijs

alijs purgatorijs medicamentis ammixta, ipsa minus stomacho mala & ingrata facere prodit. Porrò quod hic ait, de pondere II. drachmarum ex mulsa sumendo, & de pilulis ex ea tribus cotidie post cœnam uorandis, Oribasium præcepisse: id ipsum Aëtius ser. 3. ca. 24. tradit, qui sanè ex Oribasio transcripsisse uidetur. Sed adscribam ipsius uerba: Dandæ sunt ex aloe drachmæ duæ cum aqua mulsa. Bonum est etiamsi quis ipsam quotidie sumat, aut à cœna, aut mane potius ante cibum. Tritam autem aloen in pilulas redigito cum succo corticis Citrij. Si uerò hic non adsit, utere succo braßicæ. Habeant autem pilulæ siue catapotia ciceris magnitudinem, datoq; tres aut quinq; quotidie ei qui opus habet. Alces dosis.

At uerò quod hic ait, duabus partibus aloes unam addendam esse diagridij, ut largius aluus soluatur, hoc Dioscori. paulò aliter habet. Ait enim: Succi scammoniæ obolos III. ueratri nigri obolos duos cum aloes drachma exhibendos esse ad efficaciorem purgationem. quanquam idem Diosc. cap. de aloe, drachmarum trium pondus perfecte purgare tradat. Verum de Scammoniæ succo idem prodit, drachmam aut obolos IIII. in aqua ut mulsa dari, aliàs ad solutionem uentris sufficere obolos II. Possit itaq; hoc loco intelligi duos obolos diagridij cum quatuor obolis aloes ad largius ducendum aluum exhibendos esse. Diagridium autem dixit scam Diagridium.

moniæ ſuccum, opon Dioſcoridi dictum, quomodo hodie omnes officinæ ac Medici uulgò appellare ſolent. Et credo equidem uocem corruptam eſſe ex græca δακρύδιον, qua recentiores græci ſcammoniæ ſuccum appellant, quaſi lachrymam dicas.

δακρύδιον.

Finis Tertij Libri.

MACRI AVT POTIus incerti autoris. De quibuſdam plantis, Itemq; animalium partibus, ac terræ ſpeciebus. Liber IIII.

DE AARO. CAP. I.

EST Aaron noſtra Syrorum caſtica lingua,
Huic ſimiles forma frondes ſunt cū uiperinæ,
Sed tamen huic tantæ non ſunt quantæ uiperinæ,
Virgæ palmarum fit magnitudo duarum,
Ipſaq; purpurea, croceum profert quoq; ſemen.
Radix aſt alba eſt ueluti uiperina rotunda,
Quæ mandi uel cruda poteſt, uel cocta, ubi uirtus
Viſcida non nimis eſt eius iuncta ſale ſumptæ.
Sed nec diſſimilis in cunctis partibus eſt uis.

Eius

Eius cum fimo bubulo cataplasmate facto
Imposito &, podagræ medicari posse putatur.
Extenuat pingues humores in mediocri,
Vnde fit ut uacuet thoracem sputa mouendo.
Herbæ totius est proiectoria uirtus,
Non tamen ut tantus fortaßis sit calor illi.
Radix illius debet collecta recondi,
Vt solet abscondi cyclaminis & uiperinæ.

Sicut in præfatione diximus, omnino alius huius quarti libri autor esse uidetur, sed quia idem quod ille superiorum librorum autor studium habuit, & in quodam exemplari etiam hæc continerentur, reprobare noluimus, & in hunc quartum librum seorsim digeßimus. Est itaque hoc caput ex Dioscor. transscriptum. Sed in Dioscoride Syros Lupha hanc herbam appellare habetur, alij etiam camaricam & canticam appellari tradunt, sed nihil refert quæcunq; tandem sit uera ex illis barbaris appellationibus, quum nobis de ari appellatione græca constet. Viperinam autem hic dixit dracontion, & supra libr. 2. cap. 13. draconteam ac colubrinam dictam. Viperina

Extenuat pingues.) Hoc ex Galeno acceptum est, qui sic habet: Radices comestæ secant humorum craßitudinem moderatè, quare etiam reiectionibus sputi ex thorace aptæ sunt.

Hic itaque in mediocri dixit, pro moderatè,
hoc

Proiectoria uirtus. hoc est ut Galenus habet, μετρίως. Proiectoriā porrò uirtutem dixit extersoriam, ῥυπτικὴν Galeno dictam, quam tamen non ita fortem habet, quum calida & sicca primo ordine existat.

DE AGRIMONIA. CAP. II.

Omnibus est herba hæc nobis agrimonia nota,
Acris inest illi nimis & diuretica uirtus.
Succus radicum pellit nebulas oculorum,
Possunt ambracas folia in potu dare sanos.
Morsus serpentis pariter rabidiq; latrantis,
Atq; uenena fugant, uentrisq; bibendo dolorem.
Sed tribus adiungi cyathis uini duo debent
Pondera drachmarum radicibus è memoratis,
Appositiq; suo cancromata uulnera sanant
Luxata &, si sit tritis axungia mixta.
Et percussuras ferro uel fustibus actas,
Verrucasq; simul si coniungantur aceto.
Splen quoq; consumūt sumptæ, pellunt q; dolorem.
Cum uino coctæ curant paralytica potæ.
Apperiunt tritæ quæ sunt contrita, ualentq;
Appositæ si sint eadem cito reddere sana.

Agrimonia. Argemone. Argemonia. Agrimonia cuius hic uires describit est ea, quæ Diosco. & Galeno Argemone appellatur, & Plinio argemonia, unde luxatum est uocabulum agrimoniæ, per metathesim literarum. Quæ uero uulgò et

in

In officinis agrimonia appellatur, non est hæc argemone, sed quam ueteres Eupatorium dixerunt, uelut quidam docti nuper medici docuerunt, & nos aliquando in emendata Plinij lectione ostendemus. Vires itaq; agrimoniæ præsentis ex Diosco. ac Plinio transumptæ sunt, quas ex eo habere uidetur, quòd facultatem extersoriã ac discussoriam habet, uelut Galenus testatur. Eupatorium.

DE SAMBVCO ET EBVLO.

CAP. III.

Dvplex Sambuci dicunt genus esse periti.
Sunt diaphoreticæ mediocriter, utraq; sicæ
Virtutis; uerum & uis styptica dicitur esse. (cæ et
Maior habet nomen Actes, minor at Chamæactes.
Est ebulus formam cui conscribunt breuiorem,
Elixis ut olus cum lympha frondibus huius
Venter mollescit, cholerãq; & phlegmata purgãt.
Hæc eadem teneræ possunt sic ipsius hastæ,
Cum folijs haustæ uinoq; terendo iugatæ
Vesicæ fractos reddunt potando lapillos.
Sumpta cibo ponunt humorem uentris aquosum,
Esse cacostomacha at uescentibus herba putatur,
Eximium radix confert elixa iuuamen
Hydropicis, uiperæ succurrit morsibus ipsa,
Si super emplastri ponatur more, uel hausta.

Addita

Addita fomento matricum dura resoluit,
Et multis uitijs muliebribus apta putatur.
Potaq; cum uino de semine potto facta,
Quæ supra scripsi per se depellere nouit.
Vncto cæsaries mixto nigreßit oliuo.
Frondes appositæ possunt auferre tumorem,
Vsta iuuant mixta tritæ impositæq; polenta.
Vulneribus carnem replendo sanant saniosis,
Et pro posse illis cogunt paracollesin esse.

Acte. Acte inquit Galenus, tum magna & arborosa,
Chamæ- tum herbosior, quam sanè chamæacten nominant,
ate. ambæ siccatoriæ facultatis sunt, glutinatoriæq;, ac
moderatè discussoriæ. Quæ uerba Galeni primis
tribus uersibus hic sunt expressa, sed ita ut ratio syl
labarum non seruetur, quod etiam in sequentibus
perpetuum est huic uersificatori, de quo semel ad-
monere uolui, nam semper id indicare tediosum fue
rit. Reliqua ex Diosc. sunt transsumpta, in quo po
ὑπὸφο- stremi duo uersus duob. uerbis exprimuntur, κολ
ρὰς. λᾶ inquit ὑποφορὰς, id est, glutinant antrosa &
cuniculi modo subter meatus facientia ulcera. Cæ-
Sambucus terum utrunq; arbustum notißimum uulgò est, &
alterum maius Sambucus, minus Ebulus appellatur,
Paracol- uulgò Attich. Vocem porrò paracollesim, ex uer-
lesis. bo κολλᾶ Dioscoridi usurpato fecit: significat au-
tem conglutinationem.

DE BRYONIA. CAP. IIII.

AMpelos est leuceq́; et dicta bryonia græce,
Dicitur à nobis Latinis candida uitis
Hastas & frondes habet hæc nostram aßimilantes.
Sed nostræ leues, illi sunt asperiores.
Nostræ maiores, illi paulò breuiores.
Semen consimile est, minus & si dicitur esse.
Capreoli similes multa se parte plicantes.
Qui si cum uino sunt elixi bibituro
Ventrem cum lotio dicuntur posse mouere.
Hastis & folijs radici &, uiscida uirtus
Est, ex quo cancros cataplasmate dant medicatos.
Quæq́; Chironia sunt, uel quæ phagedænica, sanãt.
Vulnera, uel tibijs, ea tollunt cum sale trita.
Corporibus gratum radix fert uncta colorem,
Lentigines pellit, tendit rugas faciei.
Atq; cicatricem loca si teneant inimicam,
Ad proprium morem reparat collata colorem.
Tritaq́; cum uino ueluti cataplasmate facto,
Duritias spergit, simul apostemata curans.
Extrahit ossa etiam si sint in corpore fixa.
Hanc medicamentis quæ septica sunt sociabis,
Coniunxisse quibus nimis esse necesse probatur.
Vnica cum uino potandum præbita drachma
Annum per totum, fertur sanare caducum
Qui furtim lædit, & sic apoplexia cedit,

Cedit

Cedit et obtenebrat oculos, quod ſæpe Scotoma.
Et ſi prædictum pondus fuerit geminatum
Tunc potius cauſis occurrit præmemoratis,
Morſuſq; illatos ſic curat tabe repletos.
Ne faciat mulier prægnans, hanc uitet, abortum
Prouocat urinam potu, pellitq; ſecundas.
Dyſpnoicosq; iuuat coniuncta melle uorata.
Et conquaſſatos artus, altoq; cadentes,
Tußim placatam reddit, laterisq; dolorem.
Huius ſi pondus oboli coniungis aceto,
Triginta ſpacio ſplen ſiccat ſumpta dierum.
Omnia cum caricis prædicta ualet cataplaſma.
Fomento aſt uteros lympha decoctio facta
Purgat, & infantes ponit nondum glomeratos.
Temporibus ueris exſuccari ſolet herba,
Et radix, cuius ſuccus mulſæ ſociatus,
Phlegmata deponit datus, & iuuat omnia ſcripta.
Inſuper & mammæ lac contribuit muliebri
Cum ptiſanæ ſucco ſi ſit ſociata coquendo.
Succus præſtat idem, baccarum ſuccus eidem
Vrinamq; mouet in tinctu ſed mediocri.
Sperma fugat lepram tritum ſcabiemq; perunctū.
Bryonia nigra. Conſimiles uires habet huic bryonia nigra
Appellata, tamen in cunctis inferiores.

Septica. Hæc omnia ex ordine & ferè ad uerbum ex Dioſcoride tranſcripta ſunt, Septica dixit eroſiua et

putre-

putrefacientia, qua uoce etiam Plinius sæpe utitur. Diosc. habet σηπ]αῖς τε μίγνυ]αι ἐπιτηδείως, id est, compositionibus erodentibus, admtelligitur enim δυνάμεσι. id compositionibus δυνάμεις enim, id est, potentias, propter uim & efficaciam, ipsas compositiones uocabant. δυνάμεις.

Et infantes ponit nondum glomeratos.) id est, deponit et eijcit conceptus recentes, et nondum coagmentatos, ac formatos. Quatuor autem tempora formationis usq; ad perfectam fœtus generationem, Galenus lib. 1. de semine distingit, quos libros nuper latine conscripsimus. Diosc. tamen hoc loco simpliciter ἐκβόλιον esse dicit, id est eiectiuum conceptuum medicamentum.

Cum ptisanæ succo.) Plinius hoc sic tradit. lactis abundantiam facit coctum cum tritico potũq;. Ita etiam Diosc. habet. Non autem solum ordeũ decorticatũ ac pistum ptisanam dici, sed etiam reliqua frumenti genera, in commentarijs medicis docuimus. ἐκβόλιον Ptisana.

DE ALGA PALVSTRI, SIVE NYMPHAEA. CAP. V.

Alga palustris habet diuersa uocabula, quorũ
Cacabus est ueneris Nymphæaq; siue papa
Cui locꝰ in causa est cognomẽ habere palustre. (uer
Crescit enim stagnis ea, siue locis in aquosis.
Frondibus oblongum caput ostendit super undas

Quod de radice sola prodit sociatum
Multis, flos eius similis quos lilia produnt.
Pallidior tamen est, nec tam niueus color eius.
Semen habet croceum medio de flore locatum.
Sed quum floruerit formam capit inde rotundam.
Sicut meconis nigri faciunt capitella.
Aut sicut mala hæc quæ dicuntur Matiana.
Semen in his spissum latumq; magis reperitur.
Hoc argillosi gustu datur esse saporis.
Hasta parum crassa subnigraq;, læuis, & æque
Aspera radix est eius, nodosa, mælena.
Tempore quæ autumni debet siccata recondi.
Eius enim puluis multum fert utilitatis.
Sumpta mero splene prodest sic cœliacisq;.
Vesicæq; potest sic sumpta leuare dolorem.
Si quis & est stomacho posito cataplasmate cedit.
Sic & alopecias emendat, & in cute mendas.
Quosq; tumor lædit testes lenire notatur.
Seminis aßidui potus hæc omnia possunt
Humanumq; fluens plus iusto sperma retardant.
Radicem quæ fert Nymphæa ast candidiorem,
Est melior uirtute sua, debet quoq; sumi
Cum uino nigro, quia partim styptica uirtus
Est eius, partim quoq; proiectoria, sic quòd
Infusam dicant hanc aluum reddere sanam.
Et quod alopecias pice cum liquida iuuet ipsas.

Quam hic algam palustrem uocat, est nymphæa

Diosc.

Diosc. ac Plinio dicta, eadem & cacabus ueneris, & papauer palustre, et uulgò nenufar appellatur. Alia est ab hac, alga maris Plin. li. 32. cap. 6. dicta, nimirū fucus marinus à Dioscoride dictus, quanquam idem Plinius lib. 13. ca. 25. non habere alia lingua nomen dicat, quod græci uocant phycos, quoniam inquit, alga herbarum magis uocabulum intelligitur, hic autem est frutex. Nymphæa. Cacabus ueneris. Nenufar. Alga palustris. Alga maris.

Sicut meconis nigri faciunt capitella.) Diosc. hæc sic tradit: Quū autem defloruerit malo similis circumferentia euadit, aut papaueris capiti. Hic itaq; genus malorū ad speciem Macianorum contraxit. Sunt autem Maciana mala, quæ uulgò poma arātia appellantur, corrupta nimirū ex pomis matianis appellatione, uelut in com. medic. ostendimus. Meconis porrò id est papaueris græca uoce usus est, μήκωνος scilicet, quem paulò post malæna uocem pro nigra usurpat. Matiana mala. Poma arātia.

Hoc argillosi gustu datur esse saporis.) Argillosum saporē dixit γλίσχρον, hoc est uiscosum Diosc. dictū, ait enim Diosco. ipsum esse gustāti uiscosum hoc enim est γευομένῳ γλίσχρόν. Mox deinde hastam pro caule dixit, uelut etiam suprà fecit. Reliqua ex Diosc. sunt omnia ex ordine. Verum quòd hic habetur prodesse eam cœliacis, etiam Dioscori. dixit κοιλιακοὺς ὠφελεῖ, & hoc ipsum etiam Plinium dixisse uolunt, quum ait. Radix nigra in sole γλίσχρος. Hasta. Cœliaci. Aluini.

Aluini. siccatur aduersaturq; aluinis. Aluinos enim cœliacos ipsum appellasse uolunt. At uerò quum aliàs semper cœliacorum uoce utatur, nō uidetur hic debuiße uitare eam uocem, & nouam confingere aluinorum, qua nusquam per totum opus utitur, præterquam de uinca peruinca quo loco tamen corrupte eam legi uocem, in emendata Plinij lectione aliquando docebo. Hoc itaq; loco etiam eandem suppositítiam esse, præuium habeo uetus exemplar, quod sic legit: Radix nigra in sole siccatur, aduersatur. Sic quidem illud exemplar habet, & corrupte, sic tamen ut coniecturam præbeat nobis ueræ lectionis, quam ego talem esse sentio. Radix nigra in sole siccatur ac uersatur alternis, primum omnium itaque aduersatur suppositum est pro ac uersatur. deinde in ueteri hoc exemplari uox altersis penitus à scriptore præterita est ex incuria. Qui uerò eam in alijs exemplaribus repererunt, & uiderent simul falsò scriptum aduersatur, & non possent sententiam aliquam assequi ex uerbis, aduersatur alternis, fecerunt aluinis pro alternis, atq; hoc modo meo iudicio hic locus Plinij corruptus est. Sed hæc aliud tempus requirunt.

Plinij locus.

DE FABA. CAP. VI.

FRigoris in medio faba uim tenet atq; caloris,
Styptica quo partim fit, proiectoria partim.

Exterius

Exterius quare poterit ſiccare modeſtè.
Mitigat arthritim cum lympha cocta dolorem.
Anſeris adiuncta huic pinguedo recens uel ouilla
Si fuerit, podagræ quoq; ſubuenit hac ratione.
Cocta farina fabæ, iunctum ſit ut oxymel illi,
Sanat contractos poſito cataplaſmate neruos.
Sic & teſticulos & mammas optimè curat,
Hæc etenim poterit loca reddere frigida, ſi ſint
Inflammata nimis uirtute ſua mediocri.
Prandia ſumpta fabæ non digeſtiua probantur,
Inflat enim niſi ſit aqua bis mutata coquendo.
Præcipuæ uiridis ſtomacho non cõmoda manſa eſt.
Somnia nigra facit, ſed tuſsis initia pellit.
Succum corporibusq; etiam pinguedinis addit.
Integra ſi forti coniuncta coquatur aceto.
Eſtq; dyſentericis medicans, uentriq; ſoluto,
Sic ualet & ſtomacho ſuffragia ferre uomenti.
Iuncta farina fabæ cataplaſmatibus medicatur
Ictibus attritis tumidis, comitante polenta.
Sola tamen nequit hoc ipſum ut dicunt operari.
Lac nimiũ mammis cataplaſmate ſtringit abundans.
Coniuncta at melli fœni græciq; farinæ,
Parotidas curat, liuores corporis aufert.
Floribus at roſeis & thure et ouo comitante
Impoſita, ex oculis tumor & ſtaphylomata cedunt.
Percuſſos etiam curat fuſosq; cruore.
Dentibus attrita eſt frontiq; ligamine iuncta,

Reumata luminibus ſuſpendere fertur opima.
Cum uino teſtes curat cataplaſma tumentes
Et propendentes ſinit haud fieri pueriles.
Eius ſolliculus bene tritus & attribulatus,
Emendat maculas emplaſtris additus albas.

Ex Dioſcor. & Galeno totum caput tranſſcri
ptum eſt. Galenus itaq; lib. 7. ſimplic. pharma. P
mos duos uerſus ſic habet. Faba inquit, medij tem
peramenti quàm proximè eſt, tum in calfaciend
tum in frigefaciendo, participat autem modica qu
dam exterſoria facultate caro ipſius, quemadmo
dum cortex adſtringente. Exterſoriam itaq; ui
hic proiectoriam, uelut ſolet, appellauit. Adſtrin
gentem uerò ſtypticam, græca uoce ſeruata. Veri
de hoc admonere ſtudioſos obiter uolo, in Galen
corrupte legi, κατά τε τὸ ξηραίνειν, καὶ κατὰ τ
(Galeni locus.) τὸ ψύχειν, hoc eſt, tũ in ſeccando, tum in frigeſa
ciendo, pro κατά τε τὸ θερμαίνειν, καὶ κατὰ τ
(Pauli locus.) ψύχειν, id eſt, tum in calefaciendo, tum in frigeſa-
ciendo. Nam calidi & frigidi oppoſitio eſt, in quo-
(Aëtij locus.) rũ temperamento medio faba conſiſtit, non autem ſi
ci & frigidi. Quare mirandum eſt etiam Aëtium
ac Paulum eam corruptam Galeni lectionem habe-
re, & ex corrupto exemplari tranſſcripſiſſe, et non
animaduertiſſe falſam lectionem eſſe. Eſſe autem
hanc falſam lectionem, & θερμαίνειν pro ξηραί-

φαῦ legi oportere, docet palàm Dioscor. κύαμος inquit μέσος θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, hoc est, faba in medio est caliditatis ac frigiditatis. Atq; sic etiam ueteres Galeni interpretes legerunt ac citarũt, nimirũ mediam inter calidam et frigidã distemperantiam esse. At uerò facile reperiãt interpretes ueniã, si tales autores se nihil aliud quã simias esse patefaciũt.

Prandia sumpta fabæ.) Octo sequẽtes uersus Dios. his uerbis tradit, quæ declarandi gratia adscribam. Faba flatuosa est, ægre concoctilis, & grauia somnia inducens, tussi autem commoda, & carnium generatrix, media inter caliditatem ac frigiditatem: cocta cum posca, & unà cum cortice comesta dysentericas ac cœliacas fluxiones sistit, & ad uomitus apta est comesta. Redditur autẽ minus flatuosa, prima aqua in coctura diffusa. Viridis uerò stomacho magis incommoda est et flatuosior, hæc Dios. in quo etiam reliqua omnia ferè ad uerbum habentur. Porrò Staphylomata sunt prolapsus oculi ad similitudinem acini uuæ, ex quo etiam nomen habent. Staphylomata.

Et propendentes sinit haud fieri pueriles.) Hoc aliter tradit Dioscо. & Galenus, neq; enim uetat testes puerorũ pendulos siue propẽdentes fieri, sed pubem ipsorum ad multum tempus impuberem conseruat, si cataplasmatis modo imponatur. Cæterum mox folliculum, corticem, & putamen fabæ dixit, λέπος & λέμμα græcis appellatum. Folliculus λέπος. λέμμα.

DE NVCE AVELLANA. CAP. VII.

Nucibus ex minimis nulli datur esca salubris,
Cogunt ceruicem mandentis ferre dolorē.
Inflando stomachum distendunt, dantq; solutum
Pectus, pulmonem corrumpunt tussi nocendo.
Indicat effectus quòd eis sit & humida uirtus.
Si tamen in testa luteo sint uase perustæ,
Vt nil uirtutis possint retinere prioris,
Nil plus stillantes iuuat in placando fluores.
Si bene contritæ dentur mulsa resolutæ,
Compescunt ueterem tußim, licet inueteratam.
Cum passo tritas quidam tribuere bibendas,
Ad iecoris morbos & pulmonis remouendos.
Multi cum pipere tritas uinoq; dedere,
Atq; ad pellendum sensere ualere catarrhum,
Et destillantis lotij tormentaq; uentris.
Vrsi pinguedo nucleis coniuncta terendo
Reddit alopecijs de raptis damna capillis.

Hoc caput partim ex Plinio, partim Dios. sumptum est. Primum uersum rectius sic legeris. Ex minimis nucibus &c. est enim prima syllaba in uoce nucibus breuis. ut in hoc Persiano: Et nucibus facimus quæcunq; relictis. Minimas autē dixit, uelut græci tenues & paruas appellant, hoc est λεπτοκάρυα.

Nuces paruæ.

λεπτοκάρυα.

κάρυα. Ceruicem deinde pro capite dixit. Ait enim Plinius: capitis dolorem faciunt. Reliqua nota sunt.

DE BATO SIVE RVBO.
CAP. VIII.

Omnibus est nota ipse batus, uirtusq; pbata
Ipsius à multis, & dicunt styptica quòd sit,
Et Xerantica. Cæsariem decoctio lotam
Ipsius infectam reddit, uentremq; fluentem
Abstinet, & fluxum nimium stringit muliebrem.
Presteris morsus eadem iuuat atq; uenena.
Reddit gingiuas & de putredine tutas.
Quiq; nocent sæuos compescit in ore tumores,
Commasticatæ frondes uinoq; subactæ,
Acri, ceruicis, zernas pellunt & achoras.
Quodq; solet fieri percurant ulcus in ore,
Et plagas solæ possunt sic consolidare,
Turgentes oculos & condylomata soluunt.
Cardiacosq; iuuant sic & stomachum patientem.
Suppositæ uitium sanant hæmorrhoidarum.
Hastarum succus foliorum &, solè calente
Siccatus, melius faciet præscripta potenter.
Maturo succus eius de semine tractus,
Sæpius utiliter causis est oris adaptus,
Sed non maturum prandentis detinet aluum.
Flosq; dysentericis & prodest cæliacisq;.
Idem contritus lippis cum melle medetur,

Si illitus est oculis, ignem quoq; sic iuuat atrum.
Sunt igitur flores eius, frondesq; uirentes,
Moraq; uirtutis leuiter stringentis, ad uuam
Et fauces quare proprie prodesse uidentur.
Quum sint matura ex iusto sed tempore mora,
Dicunt feruoris uim quòd teneant mediocris.

Batos. Rubus. Xerãtica. Batos est rubus qui mora fert, uulgò Brom-beer appellata, uim habet adstringendi ac siccandi, ut Plinius inquit, quas hic stypticam & Xeranticam græcis uocibus appellauit, Sicut, mox uentrem abstinet dixit, quod est apud Dios. κοιλίαν ἵστησι. Quòd autem hic ait presteris morsus iuuat, Plinius sic habet. Aduersatur serpentium sceleratißimis hæmorrhoidi & presteri. Prester. Quales autem sint hi serpentes Aëtius sermone 13. docet.

Maturo succus eius de semine.) Dioscorides clarius hoc sic tradit. Fructus ipsius perfecte maturi existentis succus in stomaticas compositiones, Stomasticæ cõpos. hoc est medicamenta ori destinata, commodus est.

Dicunt feruoris uim quòd teneant mediocris.) Hoc ex Galeno sumptum est, qui sic habet. Fructus si maturus fuerit, non pauci particeps est moderate calidi succi, qui dulcis existit. feruoris itaq; pro caloris, hoc est calidi succi, dixit.

DE MIRICA. CAP. IX.

Artibus

ARtibus in medicis fertur uis magna myri-
Hisq; tamaricũ nomen, quarũ foliorũ (cis,
Elixatura ex uino potata tumorem
Splenis emendat, dentisq; leuare dolorem
Creditur, humores eadem stringit cohibendo
Addita pessarijs matricis, sicq; necando
Effugat & lendes, alios & corpore uermes.
Et cinis ustarum stringit fluxum muliebrem
Vtilis est potus etiam de calice sumptus,
Harum de ligno uel de radicibus acto.

Mirica tamarix apud Columellam et Plinium appellatur, unde etiam uulgò tamariscus dicitur. Medicamenta ex ea hic relata apud Diosco. sunt ferè ad uerbum. Quòd utilem ait esse potum de calice ex myrica facto sumptum, clarius Diosco. habet. Quidam inquit, etiam calices ex trunco parant, quibus pro poculis in splenicis utuntur, tanquã potus ex ipsis prosit. Hodie ea gratia, uina in quibusdam locis tamariscena appellata, concinnantur. Constantinus autem Cæsar ad eandem rem uinum prunis myricæ superfusum et potum probat, lib. 19. cap. 7. & ibidem suibus quoq; aquam eisdem superfusam, commodam esse docet. quod ipsum etiam de ligni canalibus Columella li. 7. ca. 10. habet. Sues inquit dum dulcedinem pabuli cõiectantur supra modum æstate splenis incremento laborant, cui succurritur

Mirica. Tamarix. Tamariscus.

Pocula ex mirica.

fi

si fabricentur canales ex tamaricibus & rusco, re-pleanturq; aqua, & deinde sitientibus admoueantur. Verum Hermolaus rusci lectionem hoc Columellæ loco reprobat, ex Diosc. autoritate, solam tamaricem hanc rem præstare adstruens, atq; sic legendum corrigens. Cui succurritur si fabricentur canales ex tamaricis trunco.

Columellæ locus.

DE IVNIPERO. CA. X.

IVniperi uirtus est incensiuaq; & acris.
Imposita in prunas, serpentes pellit odore
Fumigij, fructusq; rotundus habetur, odorq;
Illius est summus si detineatur in ore.
Vtilis est stomacho sic thoraci medicando,
Et tußim nimiam sedat, licet inueteratam.
Auxilium contra potis est conferre uenena,
Spasmata sic contra ualet, & sic rhegmata contrà.
Atq; uteri uitium et morbum qui strangulat aufert.
Eius quos succus sanat dat uipera morsus.
Qui si combustus fuerit lymphæq; iugatus
Vnctas propellit turpi de corpore lepras.
Eius pota interficit elimatio ligni.
Ipsius lachrymis tußim sedare bibendo
Dicitur antiquam, uitium quoq; parotidarum.
Huius cum drachma baccarum drachma draganti,
Absithij drachma & prædictis associata,
Myrti tres nigræ, gallæ quoq; tres Asianæ

Illis

Ris iungantur, coniunctaq; cuncta terantur.
Sic tribus atq; tribus oleo commixta diebus
Vase recludantur uitreo, dum conficiantur,
Vim simul atq; oleum contraxerit à speciebus
Seruetur, quoniam multis ualet unguine rebus.
Si caput ungatur, capiti prodesse probatur.
Cæsariem capiti dicunt seruare periti,
Reddit & absentem, ferturq; tenere cadentem.
Quod minus est fidei prodest quoq; caluiciei,
Dando capillosum caput antea ridiculosum.
Fortius examen ustum facit hoc medicamen,
Si pare mensura fuerit coniungere cura
Eius prædictis cinerem, quia uis perhibetur
Esse sibi tanta, quod solus posse probatur
Cuncta relata prius oleo si conficiatur.
Creditur exustæ puluis uim ferre nigellæ
Huic medicamento, de solo nanq; puellæ
Lymphæ coniuncto loca nuda terunt ciliorum,
Expertæ damnum, quod reddere posit earum
Hæc nec sola pilis dicunt uestire potentem,
Sed quamcunq; cutem libet ista ueste carentem.

Vim Incensiuam dixit calfactoriam Dioscorides appellatam. Nam ex Disco. transscripsit omnia uis. usq; ad uersum. Eius quos succus &c. qui uersus cum sequentibus sex nō genuini putantur, et tamen apud ueteres Interpretes habentur, unde huc sunt Incensiua

trans-

Spasmata. rhegmata. transsumpti. Porrò spasmata & rhegmata græcis uocibus dixit, quæ conuulsa & rupta Plinius appellare solet. Elimationem autem ligni, dixit ramenta lima detrita, & scobem, quem græci ῥίνημα. ῥίνημα, item à lima appellant.

Huius cum drachma baccarum drachma draganti.) Hoc medicamentum ad defluos capillos destinatum, ex Arabe aliquo transscripsit. Aliqua certè ex his quæ ipsum constituunt, habentur etiam in hunc usum, apud Galenum lib. 1. de cōpos. medica. secundum locos cap. 2. Dragantum autem dixit gummi uulgò notißimū hac appellatione, sed corrupta uoce ex Tragacantha, uel Tragacantho, qua græci id appellant et Celsus ac Plinius, cæterum examine apum usto pare mensura, drachmæ uidelicet pondere, addito, medicamentum hoc fortius reddi asserit. Itemq; puluere nigellæ exustæ, de qua libro secundo tractatum est.

Dragantum. Tragacantha.

DE SALICE. CAP. XI.

Esse sui partes desiccatiua per omnes
In uirtute salix, modicū quoq; styptica fertur.
Vulnus habent eius frondes solidare cruentum.
Conceptus prohibent in aqua potæ muliebres.
Corticis exusti cinis acri iunctus aceto,
Callos à pedibus tollit positus uel inunctus.
Et mundat pariter uerrucas hac ratione.
Arboris incisæ manat de corpore succus,

Tempore

Tempore quo rami multo sunt flore grauati.
Qui tum mammarum ualet & morbis oculorum.
Tum cunctis quæ sunt medicaminibus tenuanda.
Huius flos sumptus in aqua frigescere cogit.
Instinctus ueneris cunctos acres stimulantes.
Et sic desiccat, ut nulla creatio fiat.
Nomen halosanthos flos obtinet arboris huius.
Qui si sit iunctus æquali pondere myrrhæ,
Inde terendo cinis factus, permixtus & undæ.
Deductus liquor ut mellis speciem sibi sumat.
Spissatus pariter donec uideatur in unum.
Et teneat ducto uelut ex albumine filo.
Hinc lita cæsaries tibi stet uelamine tecta
Vel mitra, noctem totam cum sole lucente.
Et si plus steterit melior tinctura manebit.
Postea cum calida ceruicem colluat unda.
Mirari flauos poterit roseosq; capillos.
Sunt quibus est crudos mos associare lupinos.
Namq; ualent soli cum lympha reddere triti
Loto & consimilem capiti conferre colorem.
Nec minus argenti prodest spumam sociare,
Bis binas drachmas istis, & iungere quinq;
Assuesti, lympha simul hæc duo namq; soluta.
Mellis ad effigiem, capiti possunt dare sola.
Quæ paulò suprà perscripsi cætera posse.
Si sint adiuncta & post hæc uelamina mitræ.
Sed caput ablutum reddat decoctio bletæ.

Salicem

Salicem habere uim siccatoriam & adstrin-gentem per omnes partes suas, & Dioscorides & Galenus tradunt. De folijs autem quæ hic frondes, ut solet, appellat, Galenus priuatim testimonium præbet, quòd ad cruenta uulnera glutinanda conducant. Reliqua pariter apud utrumque habentur, præterquam quòd conceptus probibeant, Nam hoc Galenus non tradit, credo equidem ut ne cuipiam occasionem utendi præberet. hoc ipsum autem ἀσυλληψίαν facere Diosc. dixit, hoc est, ut mulier non concipiat. Non autem solum mulierum conceptus prohibet, salicis semen siue fructus, siue flos, uelut hic appellatur, sed etiam instinctus ueneris omnes congelat ac resiccat, etiam in uiris, ut generare nequeant. Atque hoc ipsum Democritus quoq; apud Constant. Cæsarem lib. 11. cap. 14. tradit, his uerbis, uelut nos nuper in eo opere latine conscribendo reddidimus. Qui fructus salicis appellatur, inquit, pabulo pecorum ammixtus, ipsa pinguefacit: tritus autem & in potu acceptus ab homine, steriles facit, ex quo & Homerus ait, κλῆθροις αἴγειροί τε καὶ ἰτέα ὠλεσίκαρποι. hoc est,

Et populi & salices plantæ fructum perimentes.

Verum Plinius libr. 16. cap. 26. uocem ὠλεσίκαρπος non sic accipit dictam ab Homero, ut significet fructum ac seminum humanorum perditionem

[Margin: ἀσυλληψία. — Salix steriles facit. — ὠλεσίκαρπος.]

nem, sed ipsius arboris. Sed adscribam ipsius uerba: Ocyßimè autem salix amittit semen, antequam omnino maturitatem sentiat, ob id dicta ab Homero frugiperda, secutaq; ætas scelere suo interpretata est sententiam, quando semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse constat.

Nomen halosanthos flos obtinet arboris huius.) Quod flos salicis halosanthos appelletur, falsißimum est, itemq; quod hic salicis flos uim de qua hic agit, habeat. Verum halosanthos quidem habet hanc uim, sed non flos salicis, sed flos salis ea uoce accipiendus est, qui ut Diosco. ait, in Nilo fluuio fluitat, & in quibusdam stagnis superstat. De quo mirum est hunc uersificatorem non nouisse, & per salicis pro salis scripturam uelut apparet, deceptum esse, ut arboris florem pro salis flore acciperet. Quod autem flos salis uim habet tingendi pilos, etiã Diosco. tradit, Miscetur inquit, & acopis, id est laßitudinem eximentibus, & smegmatis ad inalbandos pilos. Verum interpres Marcellus hanc sententiam uerborum Diosc. non expreßit, uertit enim. Miscetur acopis & his quæ exterendo sunt ad extenuandos palpebrarum pilos. Sed in hoc sequi maluit Plinium, qui hoc tradit, quàm Diosc. qui aperte habet, μίγνυται ἐν ἀκόποις καὶ σμήγμασι πρὸς τριχῶν λευκασμόν. Non autem solum flos salis, sed etiam spuma salis ἁλὸς ἄχνη, & ἁλὸς ἀφρὸς græ

Halosanthos. Flos salis. Dioscor. locus. Spuma salis.

ctis appellata, hanc uim tingendi pilos habet. Galenus enim li. 1. de comp. phar. secundum locos ca. 3. ex Archigene citat hæc uerba. Flauos autem et crispos reddes capillos si spuma salis cum myrrha confricaueris. Et nisi fallor ex eo loco hi uersus transcripti sunt ab autore, qui forte ueterẽ aliquẽ Interpretem secutus, florem salis pro spuma salis usurpauit. Certè quod hic ait, quibusdam mo rem esse crudos associare Lupinos, id ipsum eodem Galeni loco itidem habetur. Flauos autem inquit, reddunt capillos lupini crudi cum aqua & nitro illiti. Porrò quod ad finem ait, etiam spumam argenti & asuestum illis sociari posse, id est, calcem uiuam, ego sanè dubito an expediat, quum inter Psilotica & ea, quæ pilos corrumpunt, Asbestum, hoc est calcem non extinctam Galen. recenseat, prædicti libri cap. 4.

Lupini.

Asuestos.

DE FELLE CA. XII.

NOn est spernẽdum fel, sit licet illud amarum,
Vilius & multis non de uirtute peritis
Eius, ac iniuste, quoniam quit multa iuuare.
Virtus est omni thermantica uiscida felli,
Sed magis est alijs, alijs minus esse probatur.
Fella gerunt ergo perdices atq; pauones,
Capreoliq; simul nemoris, miueiq; capones,
Quæ sunt unius uirtutis dando iuuamen,

Suffusos oculos hæc & caligne plenos
Curant, palpebrasq; iuuant asprediue plenas.
Hircus, ouis, porcusq; ursus, taurusq; secundam
Vim retinent fellis, uentrem quoniam puerorum
Soluit, eo tincta est tomentum & succida lana,
Vel collyriolum si subponatur in anum,
Curat taurinum coniuncto melle synanchen,
Atq; cicatrices sanas & uulnera reddit.
Lacte sed ammixto dolor auris ei muliebri
Infusum cedit, sed lac debet superare.
Porri cum succo taurino felle iugato,
Asseritur tali medicamine fistula pelli.
Traumaticis medicaminibus quæ uulnera curant
Iungitur, illa quidem quia sanat, & absq; tumore
Quæ mala sunt etiam non incurata relinquit.
Testes & ueretrum sanat cum melle dolentes.
Optimè leprosos curat & surfura purgat,
Vnguine si nitrum facto fuerit sociatum.
Omnibus his fel ouis ursi quoq; ferre salutem
Creditur, ursini puluis cum melle iugatus
Sumenti prodest, epilepticus inde iuuatur.
Nyctalopas capreum fel longè pellit munctum,
Hirci palpebras sedabit ab unguine crassas,
Et deturpatis ualet hoc succurrere strumis.
Ergo reponendum fel sic est atq; parandum;
Horæ per spatium filo coquat unda ligatum,
Vmbra siccatum post hæc seruetur ad usum.

Et hæc omnia de fellis generibus, ac medicina, ex Dioscoride ex ordine transsumpta sunt. Thermanticam uirtutem dixit græca uoce calfactoriam. Quòd autem dicit uentrem puerorum soluere &c. Diosc. clarius sic habet. Omne fel inquit, horum animalium promptitudinem ad egerendum facit, præsertim in pueris, si quis tomentum lanæ inde tinctum ano apponat. Sed & quæ sequuntur, in Diosco. uariant ac clariora sunt omnia quàm hic habentur, nec operæpretium est singula annotare, in tanta tum græcorum tũ latinorum Diosco. exemplarium copia. Cæterum quod ait: Asseritur tali medicamine fistula pelli. non probe intellexit, sequutus in hoc ueterem Diosco. interpretem qui in eodem luto hæret. Non enim fistulas sanare fel taurinum porri succo additum Dioscor. dicit sed sibilos ac susurros aurium, quos syrigmos uocat, sed interpres syringas, id est fistulas per syrigmorum uocem intellexit.

Thermantica.

Sibili aurium. Syrigmi. Syringæ.

Ergo reponendum &c.) Hi tres uersus ultimi à Dioscoride sic explicantur. Reponitur fel omne hoc modo. Capito recens, osculumq; ipsius lino obliga, et in feruentem aquam immitte, tantoq; tempore relinque, quanto quis stadiorum trium cursum perfecerit: deinde exime, et umbroso loco siccato.

DE FIMO. CAP. XIII.

SVnt qui non credunt fimos conferre medelam,
Vltima res inter quòd sint, sed decipiuntur.
Fimus ouillus enim si sit coniunctus aceto, Fimus ouillus.
Nigras emendat maculas cataplasmate facto.
Nascentes claui fugiunt sic, & sacer ignis.
Sic sanat fracta & cum quaßis carnibus ossa.
Cum cera atq; oleo ambustis igni medicatur.
Fimi pascentis uaccæ cataplasma recentis, Fimū uaccinum.
In folijs positum, carbonibus excalefactum,
Turgida fomento compescit uulnera lento.
Ischiadem curat uel certe idem moderatur
Impositus parti, si iungis acerrima uina,
Et cataplasmatibus solitis laxare iugatus,
Duritias soluit, struma huic & pustula cedit.
Sed maiora bouis præstant medicamina masculi,
Prociduos curans uteros fumo muliebres.
Idem suffitus culices foetore fugabit.
Vtile non modicum dat auis ciconia fimum. Fimum ciconiæ.
Curat enim sumptus in aqua potando caducos.
Fimus apri siccus uinóq; terendo iugatus
Aut lymphæ, uomitum sanat potando cruentum. Fimus apri.
Et lateris ueteres sanat solitósq; dolores.
Illo nil melius si sit coniunctus aceto,
Ossáq; consolidat, quassata iuuans, ut ouillus.
Prodest luxatis cera roseóq; iugatis.

Fimus equinus. Fimus Asininus. Fimus caprinus.

Fimus adustus equi uel crudus fimus aselli,
Si uelut emplastrum fiat comitatus acetum,
Vulnere manantem fertur retinere cruorem.
Fimus quem capræ faciunt tritus nemorosæ,
Solo cum uini cyatho bibitus comitati,
In tribus ictericum fertur sanare diebus.
Menstrua cum folio, spica, nardoq; bibendo
Purgat. at olibani succus cum puluere tritus.
Appositus uuluis fluxum sistit muliebrem.
Vstus alopetiam commixto sanat aceto.
Vncto cum ueteri fertur podagræ medicari.
Atq; uenenatos percurat coctus aceto
Morsus aut uino, uulnusq; quod herpeta græce
Dicitur impositus, morbum quoq; parotidarum.
Si ueluti cauter de sicco fiat eodem.
Ponaturq; super scapulam, qua parte dolebit
Coxa, sinatq; diu scapulam dum sentiat ustam.
Non tamen eripiat morbus dum cedat ab illa.

Et hæc fimorum genera, ipsorumq; medicæ uires, ex Diosc. petita sunt. Plura tamen genera Dioscorides habet, Nam columbinum, gallinaceum, murinum, caninum, humanum, crocodilinum hic relicta sunt. Quæ uero hic habentur neminem sua difficultate morari possunt. Quòd ait, In tribus ictericum &c, de suo adiecit, Nam Diosc. tempus certũ non præscribit. Sic etiam in sequenti uersu, folium, spicam.

spicã, nardum expreßit, quum Dioscorides simpliciter cum aromate habeat. Mox uncto cum ueteri, dixit pro axungia, quam uocem græci ad se transtulerunt ὀξύγγιον appellantes. Hermolaus tamen eo Dioscoridis loco, ὀξυκράτῳ id est posca, pro ὀξυγγίῳ, id est axungia siue adipe suillo, legere mauult. Vnctum. Axungia. ὀξύγγιον

Si ueluti cauter de sicco fiat eodem.) Hæc ustio uarie ab autoribus traditur, nec est satis ex Diosc. sententia hic explicata. Diosco. uerba adscribam: In Ischiadicis per caprini stercoris pilulas ustio utiliter assumitur hoc modo: In mediam partem cauam, quæ est inter pollicem & manus iuncturam, substernito lanam oleo imbutam, & pilulam ferue factam sigillatim imponito, donec sensus per brachium ad coxam perueniat, & dolorem sedet. Appellatur autem talis ustio Arabica. Hæc Dioscor. Plinius lib. 28. cap. 13. sic tradit: Fimum caprinum subdito linteolo uncto caua manu, quantum pati poßit feruens sustinere iubent, ita ut si læua pars doleat, hæc medicina in dextera manu fiat, aut e contrario. Fimum quoq; ad eum usum acus æreæ punctis tolli iubent. Modus curationis est donec uapor ad lumbos peruenisse sentiatur. Verum idem Plinius eiusdem libri ca. 16. hanc ustionem aliter tradit. Quin et Ischiadicos inquit, uri sub pollicibus pedum eo fimo feruente utilißime, tradunt. Vstio Arabica.

Aëtius porrò sermone 12. cap. 3. hoc modo tradit. Quidam ad propinquæ cruri affecto manus locum inter magnum digitum & indicem medium, circa infernum magni digiti siue pollicis articulum, caprinum stercus feruens per forcipem imponunt, stercoraq; uariant ac permutant, donec sensus ustionis ad locum affectum perferatur, tunc enim sufficientem ustionem esse dicunt. Et subdit mox. Dioscorides autem hanc rem ita tradit, Caprinum inquit stercus feruefacito, & extenso magno manus digito, cauum locum circa inferni articuli eiusdem digiti finem notato, deinde locum ipsum ex oleo prælinito, & lana conuoluta oleo imbuta ad cauum locum substrata, sigillatim caprinum stercus feruefactum imponito, quousq; sensus per brachium ad affectã coxam procedat. Antylus autem, nos inquit, etiam huiusmodi urendi modo utimur. Stercus caprinum siccum feruefacimus, eoq; uentrem magni digiti affecti pedis perurimus, paulò infrà unguem, usq; ad os ipsum, ustione penetrante. Ex his Aëtij uerbis palam fit, unde Plinius diuersimodè hanc ustionem tradiderit, & quòd etiam Dioscor. lectio aliter habuerit, quàm hodie græca exemplaria habent, uelut nos iuxta ipsarum fidem reddidimus.

DE CASEO. CAP. XIIII.

Caseum

Caseus insulsus stomacho bonus esse probatur,
Escis illius quia uenter mollificatur,
Corporibus macris & pinguedo reparatur.
Constringendo minus uentrem, plus nutrit ouillus,
Plus alijs quoniam fertur quòd pinguior extet.
Assus & elixus uentrem constringere noscit,
Sicq; tumens oculus illum medicamine poscit,
Et sic liuores oculos tollit maculantes.
Præualet ast omnes bubulus sedando tumores.
Omnis caprinus stringit uetus & bubulinus
Nec prodest potius maciei dando nociuus.
Lac liquidum pingues sumptũ fertur dare carnes.

Dioscorides de caseo sic tradit. Caseus recens citra salem comestus, probe nutrit, stomacho utilis est, carnes generat, aluum moderatè mollit. Coctus et expressus, deinde assatus, uentrem adstringit. Iuuat autem impositus oculorum inflammationes & sugillata. Vetustior aluum sistit. Tantum sanè ex Dioscoride in his uersibus compræhensum est. Sed Plinius breuius adhuc omnem rem complexus est. Stomacho inquit, utiles qui non sunt salsi, id est recentes. Veteres aluum sistũt, corpusq; minuunt, stomacho inutiliores. Postremum uersum de lacte adiecit, quòd ut idem Dioscorides ait, omne in commune boni succi est, ac probe alit.

Casei natura & medicina.

Lactis natura.

DE ARANEAE TELA. CA. XV.

Telæ adstringentes sunt quã dat aranea uires.
Quare depellit febres admixta quibusdam
Vngentis, foueas si tempora febricitantis.
Sanguinis apposita solet & retinere fluorem
Et fieri prohibet saniem quæ concaua non sunt
Vulneribus, seruans ea ne tumor irruat illis.
Auris cum rosco compescit cocta dolorem,
Candida quæ magis est, magis est uirtute probãda.
Vt sunt quas agitat uentus post tempora meßis.
Quartanas iunctas corio suspensaq; collo
Pellere confirmant proprio medicamine docti.

Aranea. Non telam araneæ, sed ipsum animal araneam, splenio inductam & in linteolũ infartam, atq; fronti aut temporibus appositam, tertianas febrium circuitiones sanare Diosco. tradit. hic autem ad hanc rem telam ipsius quibusdam unguentis ammixtam utilem esse dicit. Videtur autem per splenium unguentum accepisse, quum sint splenia linteola, quibus hodie uulgò emplastra, citrinum ac gryseum & alia induci solent, schweden nostris appellata. Quæ autem sequuntur de sanguine sistendo, & quòd uulnera in superficie cõsistentia conseruet absq; inflammatione, Diosco. etiam de tela dixit. Verum quæ postea sequuntur Diosco. non de tela, sed de ipso araneo candido prodidit.

Araneæ tela.

Selonia.

DE COCHLEIS. CAP. XVI.

NOn admirandæ cochlearum sunt medicinæ,
Quum medicinalis subeant uim stercora (iuris.
Harum terrenæ quædam quædã́q; marinæ,
Non uirtute pares, quia terrenæ meliores.
Ast utrisq; tamen uis est eadem, licet impar.
Eustomachas dicunt terrenas, quòd mouet aluum
Puluis obustarum feruoribus ignis earum.
Esse coërcentis uirtutis tam perhibetur
Et constrictiuæ, quibus ut cruor exit ab ore
Per sputũ, iuuat assumptus, reprimit quoq; fluxũ.

Pauca hæc ex multis quæ Diosco. de cochleis habet, transscripta sunt. Et tamen postremi tres uersus neq; apud Diosco. habentur.

DE CORNV CERVI. CAP. XVII.

CEui strictiuæ cornu uirtutis habetur.
Omni profluuio quare astringendo medetur
Sed prius exuri sic ignibus illud oportet.
Partes ad minimas cornu frangendo redactum
In cacabo poni debet crudo itq; recenti,
Argilla intectoq;, & mox fornace incluso.
Ardeat ut candens fiat niueiq; coloris.
Quòd simul est ustum ueluti quoq; cadmia lotum.
Vtile subscriptis poni & medicamine notum est.

Cœliacis

Cœliacis hæmoptoicisq; dysentericisq́;,
Ictericis, fluxum pariter tenet & muliebrem.
His ad purgandum cochlear detur geminatum.
Vesicæq; dolor fugit ammixto tragacantho.
Collyrijs etiam miscetur puluere facto,
Reumata quæ sistunt, ulcusq; iuuant oculorum.
Si dentifricijs mixtum sit, plus operantur.
Quis cinis exusti ualeat dixi medicari,
Restat aqua coctum quantum possit referendum.
Quisquis habet dentes morbo grauiore dolentes,
Sectum cum lima cornu crudum coquat unda,
Vas sit humo factum quo feruea t, inde retractum
Mox assumatur, os ut tepido foueatur.
Hoc medicamentum donec sit in ore retentum
Sananq; adstringēs dentes, fugit hinc dolor ingēs.
Sic etenim fugiet, quo sanus perpete fiet.
Hæc limatura at fuerit si dedita cruda
Cum uino uel aqua, lumbricos enecat ipsa.
Serpentesq; suo quit adusta expellere fumo.

Quæ hic de cornu cerui traduntur, omnia sunt apud Dioscoridem itemq; Plinium diuersis locis, *Cornu cerui.* præterquam id quod postremis tribus uersibus habetur, de limatura eius cruda, hoc est ramentis lima detritis, ex aqua uel uino contra lumbricos dandis. *Ramenta.* Sed hodie uulgò nihil hoc medicamine apud mulierculas magis celebre est, quæ id ipsum ramentum ex

lacte, aut etiam aqua mulsa pueris contra lumbricos propinare solent. Sed & medicamentum ad dolores dentium sedandos, longe breuius, & melius etiam, Dioscor. tradidit his uerbis: feruefactum inquit in aceto, & collutum, dentium molarium dolores mitigat. De cæteris constat.

DE ACETO. CAP. XVIII.

IN desiccando uis frigida constat aceto.
Hinc stomacho dicunt quòd sit fastidia tollens,
Sistit manantem impositum potumq́; cruorem,
Et uentris fluxum si sit coctus cibus inde.
Vulneribus cunctis, fuerint quæ facta recenter,
Subuenit intincta; si desit spongia, lana
Succida fomento, fieri nec turgida possunt.
Taliter admotum propendentem iuuat anum,
Lepras emendat sic, atq; ignem fugat atrum,
Zernas & maculas, & morsus pellit arachnes.
Siccat fomento podagras cum sulphure uiuo.
Melleq́; liuores iuncto reddit meliores.
Cum roseo mixtum caput à feruoribus unctum
Atq; locos alios, si detur succida fotu.

Acetum frigefacit & adstringit inquit Dioscor. utileq́; est stomacho, ac appetentiam excitat. hoc est εὐστόμαχόν τε ἐστὶ καὶ εὐόρεκτον. Quare in secundo εὐστόμαχον.

cundo

cundo uerſu pro, hinc ſtomacho, legendum puto, Euſtomachum, ita ut græca uoce, uelut ſolet ſit uſus. Reliqua ex eodem ferè ad uerbum ſunt tranſcripta.

DE SVLPHVRE VIVO. CAP. XIX.

Sulphur ſplendentis uiuum niueiq; coloris,
Aſſeritur multum multis dare poſſe medelam.
Virtus eſt eius ut dicunt extenuatrix,
Et diaphoretica, ac ſimul attractoria, calda,
Empyicis atq; aſthmaticis tuſsiq; medetur
Puluis, & ictericis cum menſura cochlearis,
Et fluxum ſanat nares cerebrumq; prementem,
Molli ſi ſumptum ſit in ouo Sed dat abortum
Suffitum fieri, ſurdis atq; eſſe medela
Taliter aſſeritur, lethargus ſic quoq; cedit.
Lepras & zernas curat mixtaq; reſina
Scorpio quos ictus fecit, maris atq; dracones.
Hoc quoq; prurigo ſed cum nitro prohibetur.
Et ſparſo reſtat fluxus ſudoris abundans.
Reddit aquæ ſanam mixtum nitroq; podagram.
Vngues coniuncto leproſos ſulphur aceto,
Et terebinthina pariter corrodere fertur.
Cum uino ſumptus obſtat potata uenenis.
Trita ſimul nitrum, pariter mel, ſulphur, acetum,

Cum

Cum succo lanis inducta calentia, lumbis
Præstant auxilium forte medicamine diuum.
Nec minus hoc solum prodest adipi sociatum.

Sulphur uiuum græci ἄπυρον, hoc est nullum ignem expertum, & natiuum appellant. Quas hic ei uirtutes adscribit, extenuatricē, diaphoreticam, & attractoriam caldam, partim apud Diosco. partim Galenum habentur. Calfacit inquit Diosco. & discutit & maturat citò. Extenuatricem itaq; uim concoctoriam matura facientem dixit, diaphoreticam autem discussoriam, græca uoce seruata, quæ tamen uersum hexametrum non ingreditur, si tempora syllabarum seruari debeant, Sed hic uersificator his legibus se non adstringit. Habet autem sulphur hanc discutiēdi ac digerendi uim, citra repulsionem ad profundum, ut ea gratia ad lepras, scabiem, ac impetiginem, quam hic zernas appellat, uelut sæpe alias, commodum medicamentum sit sulphur, præ omnibus alijs idem facere potentibus, quum omnia alia mixtam uim habeant, ut simul discutiant & repellant, præter sulphur. Quare etiam attractoriam uim Galenus ipsi attribuit, & tenuiū partiū substantiam, per quam etiā multis uenena eiaculantib. bestijs resistit. Ego igitur, inquit Galen. aduersus pastinacam marinam itemq; dracones ipso sæpe usus sum, et piscatores aliquos docui,

Viuū sulphur. ἄπυρον.

Diaphoretica.

Zernæ.

quos

quos postea magnopere pharmacum laudare audiui. Vsus autem est, sicco insperso in puncturam medicamento, aut etiam saliua ammixta, id quod à me excogitatum experientia quoq; comprobauit. Sed et urina diluere ipsum excogitaui, et cum oleo uetere, melleq; ac resina terebinthina, quorum omnium fidem experimentum fecit. hæc Galenus.

Sudorẽ restringens. Reliqua apud Dioscoridem sunt. Qui ipsum inter cætera, sudorem restringere corpori inspersum ait, quod hic dixit. Et sparso restat &c.

DE ALVMINE. CAP. XX.

Diuersæ species dicuntur aluminis esse,
Quartus eis gradus est, uirtus quoq; sicca calẽsq;,
Styptica, mundificans, obscuris uisibus apta.
Palpebras tenuat, carnisq; superflua rodit
Illarum, uel quum fuerit caro mortua circà.
Vlcera desiccat mala, restringit quoq; sarsam
Admixtum gallæ, uiniq; feci simul acri.
Dentibus infirmis ginguarumq; tumori
Prodest cum melle uinum si iungitur acre.
Restringit fluxum manantis ab ore cruoris.
Pustula uel scabies illo fit sana fricata
Lotá ue de lympha, cum qua fuerit resolutum.

Alumen. Alumen apud græcos ab adstringendi facultate, quam uehementissimam habet, & styptica illis dicitur,

dicitur, συπτηρία appellatum est, Inter Vires e= ius habetur hic, ipsum restringere farsam admixtum gallæ, & uini feci acris. Farsam itaq; ulcus erodens & exedens phagedænicum græcis appellatum, barbara uoce dixit, fecem uerò uini acris, pro fece aceti possuit. Sic enim Dioscorides habet. Cum fece aceti inquit, illitum et cum pari mensura gallæ combustæ, ad ulcera phagedænica conducit. Quod autem sequitur. Dentibus infirmis &c. Dioscorides sic tradit: Gingiuas humore nimio flaccidas, adstringit. Et denter motos firmat cum aceto & melle. συπτηρία. Farsa. Phagedænica ulcera.

Quarti Libri incerti Authoris de materia medica, FINIS.

MACRI SIVE, VT quædam exemplaria habent, Merboldi Episcopi, aut potius incerti autoris, De naturis lapidum Liber.

Euax ad Neronem de gemis.

Evax rex Arabum fertur scripsisse Neroni,
Qui post Augustũ regnauit in urbe secũdus,
Quot species lapidum, quæ nomina, quiue colores,
Quæ sit & his regio, uel quanta potentia cuiq;
Hoc opus excerpens, dignum componere duxi
Aptum gestanti forma breuiore libellum,
Qui mihi præcipue paucisq; pateret amicis.
Nam Maiestatem minuit, qui mystica uulgat,
Nec secreta manent, quorum fit conscia turba.
Hunc tribus ut multum, dandum sancimus amicis,

Numerus ternarius

Qui numerus sacer est, & nos sacra pandimus illis,
Qui secreta dei seruando decenter honorant,
Quos grauitas morum, uitæ commendat honestas.
Occultas etenim lapidum cognoscere uires,
Quorum causa latens effectus dat manifestos,
Egregium quiddam uolumus rarumq; uideri.
Scilicet hinc solers medicorum cura iuuat nos.
Auxilio lapidum morbos expellere docta.
Nec minus inde dari certarum commoda rerum
Autores perhibent, quibus hæc perspecta feruntur.

Nec

Nec dubium cuiquam debet falsumq; uideri,
Quin sua sit uirtus diuinitus insita gemmis.
Ingens est herbis uirtus data, maxima gemmis.

Quisquis est huius libelli autor, Nam ἀνεπίγραφος ferè in exemplaribus omnibus circumfertur, Aliquod tamen ex his quæ uidi, Merboldum Episcopum præfixum habebat, quem tamen alij citantes, Marbodeũ appellare malunt, uidetur omnia quæ de gemmis apud Plinium, Solinum, Theophrastum, Dioscoridem, & reliquos, ac præcipuè Euacem regem inuenit, in compendium contrahere uoluisse, et uersibus nec omnino malis, nec inelegantibus, legenda proponere. Euacis tamen scriptum ego nondum uidi, neq; qui uidisset audiui. Apud Plinium lib. 25. ca. 2. habetur, quod Euax rex Arabum de simplicium effectibus ad Neronem scripserit. Sed est apud me uetustum manuscriptum exemplar, quod ea uerba in totum non habet, ut neq; de hoc, neq; de illo, quod pronunciem habeam. Marbodeus. Euax.

DE ADAMANTE. CAP. I.

VLtima præcipuũ genus India fert Adamãtis
De Crystallorum natum sumptũq; metallo.
Hunc ita fulgentem crystallina reddit origo,
Vt ferruginei non desinat esse coloris.
Cuius duricies solidißima cedere nescit,

Ferrum contemnens, nulloq; domabilis igne.
Quæ tamen hircino calefacta cruore fatiscit,
Incudis dempto percussorisq; labore,
Cuius fragmentis gemmæ sculpuntur acutis,
His sed auellana maior nuce non reperitur.
Alterius generis producit Arabs Adamantem,
Non sic inuictum, nam frangitur absq; cruore,
Nec par huic nitor est, prætijq; minoris habetur.
Pondere sit quamuis enormi & corpore maior.
Tertius est adamas, quem dat maris insula Cyprus.
Quartum producit ferraria uena Philippis.
Omnibus æqua. tamen uis est adducere ferrum.
Quod facit & Magnes absente potens Adamante,
Nam præsens Adamas magneti quod rapit aufert.
Ad magicas artes idem lapis aptus habetur.
Indomitumq; facit mira uirtute gerentem,
Et noctis lemures, & somnia uana repellit.
Atra uenena fugat, rixas & iurgia uincit.
Insanos curat, dirosq; reuerberat hostes.
Clausus in argento lapis hic auroúe feratur,
Cingat & hinc læuum fulgens armilla lacertum.

ἀδάμας. Adamas ab indomita ui apud Græcos nomen ac cepit, Inuicta enim illa uis, inquit Plinius, duarum uiolentißimarum naturæ rerum ferri ignisq; con- temptrix, hircino rũpitur sanguine, nec aliter quã recenti calidoq; macerata, & sic quoq; multis icti bus,

bus, tunc etiam præterquam eximias incudes malleosq; ferreos frangens. Quare quum hoc Plinius tradat, uidetur non legendum esse. Incudis dempto percussorisq; labore. Sed uelut quædam exemplaria habent, Incudis damno &c. Cæterum quod hic paulò post de Arabico Adamante habetur. Pondere sit quamuis enormi et corpore maior, indicat apud Plinium minor falsò pro maior legi. Similis est inquit huic quidem Arabicus, minor tantum, &c. antea dixerat de Indico, ipsum esse magnitudine auellanæ nuclei. Arabicus itaq; non minor, sed maior eo existit, si huic uersui credimus. Verum ut non legendũ sit maior, sed uera lectio sit, minor, uerba Plinij sequentia docẽt, ubi ait, unũ ex his Cenchron uocari, quod est milij magnitudine, Alterum Macedonicum in philippico auro repertum, & hic est cucumis semini par. Plinij locus. Cenchros.

Et noctis lemures.) Pli. hæc sic tradit: Adamas et uenena irrita facit, et lymphationes abigit, metusq; uanos expellit à mẽte, ob id quidam eum anachyten uocauere. Ab eo itaq; quod mentẽ diffundit animũque laxat, ἀναχύτης appellatus est. Verum ex eo quod uenena fugat, palam fit etiã uenena se mutuò perimere, alterumq; alterius uim hebetare, quum iuxta quorundam traditionem, etiam ipse adamas potus uenenum existat. ἀναχύτης.

DE ACHATE. CAP. II.

Achates fluuius.

VT perhibēt primū lapis est inuētus Achates,
In ripis fluuij qui nomine dictus eodem.
Hic precio diues siculas perlabitur oras.
Sit licet ipse niger, zonis tamen obsitus albis.
Hic lapis ingenitas memoratur habere figuras,
Cuius natiuis facies interlita uenis,
Nunc formas regum, nunc dat simulachra deorū.
Rex Pyrrhus digito gessisse refertur Achaten,
Cuius plana nouem signabat pagina musas,
Et stans in medio cytharam tangebat Apollo.
Naturæ non artis opus mirabile dictu.
Hunc quoq; corallo similem gerit insula Creta,
Cuius planicies chryseis est illita uenis.
Isteq; nempe fugat uirus quod uipera fundit.
Reddentem uarias facies dat & India Achatem,
Nunc nemorum frondes, nūc dantem signa ferarū,
Hic sedare sitim uisumq; fouere putatur.
Est & qui myrrhæ succensus spiret odorem,
Sanguineas maculas est qui perhibetur habere,
Cerea cui facies, quia creber, uilis habetur.
Portantem tutum, uiresq; ministrat Achates,
Facundumq; facit, gratumq; boniq; coloris.
Et persuasorem mundoq; deoq; placentem,
Hoc Anchisiades comitante pericula uicit.

Omnia hæc ex Plinio & Solino transscripta sunt. Plinius à uarijs figuris diuersa cognomina

ipsi

ipsi Achati attribuit. Corallachaten appellans cre- ticum aureis guttis, quas hic Chryseas uenas dixit, distinctum. Myrrachaten qui cum uritur, myr- rham redolet, sed in Plinio tamen falsò Anachates pro myrrachates habetur, deinde hæmechaten à san guinis maculis, Et Cerachaten à cerea facie, sed et alia quædam isthinc sunt cognomina, quæ hic ut su perflua sunt relicta. Porrò quod hic ad finem ait. Hoc Anchisiades comitante pericula uicit, hoc est Aeneas Anchisæ filius. ex Virgilio transsumptum est, sed ita, ut quod ille de uiro Achate Aeneæ comite ac fidißimo socio dixit: fido comitatus Achate, hic ad lapidem siue gemmam Achaten transferat, quam reuera Aeneam gestasse quidam uolunt. Vox cer- tè ipsa Achates, curam et sollicitudinem significat, quam etiam inducere gestantibus Achates solet, ue lut quidam tradunt. At uerò uersus: Isteq; nempe fu gat &c. in quibusdam rectius ut puto habetur. Iste nepæ uirus fugat, & quod uipera fundit. Est autem Nepa scorpius, Ita enim et Columella lib. 11. uocat. contra scorpionum uerò ictus Achaten prodesse Pli nius dixit.

Corallachates. Myrrachates. Plinij locus. Hæmachates. Cerachates. Achates unde. Nepa.

DE ALECTORIO. CAP. III.

VEntriculo galli, qui testibus est spoliatus,
Quū tribus ut minimū factus spado uixerit (annis,
Nascitur ille lapis cuius nō ultima laus est.

Et per bis binos capit incrementa sequentes.
Mensuramq; fabæ crescens excedere nescit,
Crystallo similis, uel aquæ quum limpida paret.
Hinc Alectorio nomen posuere priores.
Inuictum reddit lapis hic quencumq; gerentem.
Extinguitq; sitim patientis in ore retentus.
Nam Milo Crotonius pugiles hoc præside uicit.
Hoc etiam multi superarunt prælia reges.
Hic expulsorum promptus solet esse reductor,
Acquiritq; nouos ueteresq; reformat honores.
Hic oratorem uerbis facit esse disertum,
Constantem reddens, cunctisq; per omnia gratum.
Hic etiam ueneris facit intentiua uigentis,
Commodus uxori quæ uult fore grata marito.
Vt bona tot præstet, clausus portetur in ore.

Alectorius. Gallinaceus.

Alectorius à gallo apud Græcos nomen habet, quidam etiam Gallinaceum latine uocant, quòd in uentre galli nascatur, qui post tertium ætatis annũ exsectus, quadriennium postea uixit, Nam citius extrahi non debet. De Milone meminit etiam Plinius. Aiunt preterea aliqui non bibere amplius gallum exectum, hoc est caponem, quum lapis hic in ipso fuerit perfectus.

DE IASPIDE. CAP. IIII.

IAſpidis eſſe decem ſpecies ſeptemq; feruntur,
Hic & multorum cognoſcitur eſſe colorum,
Et multis naſci perhibetur partibus orbis,
Optimus in uiridi translucentiq; colore,
Et qui plus ſoleat uirtutis habere, probatur.
Caſte geſtatus fugat & febres & hydropem,
Sanguinis adſtringit fluxum, pellitq; uenena,
Appoſitusq; iuuat mulierem parturientem.
Et tutamentum portanti creditur eſſe.
Nam conſecratus gratum facit atq; potentem,
Et ſicut perhibent phantaſmata noxia pellit.
Huius in argento uis fortior eſſe putatur.

Dioſcorides et Plinius Iaſpidum genera omnia amuleti loco geſtari tradunt, appenſos ut à malis tuteantur, & partus accelerent quoq;. Galenus autem lib. 9. de ſimpli. pharma. faculta. uiridem Iaſpidem ori uentris ſiue ſtomacho commodum eſſe tradit de collo ſuſpenſum, ſeq; eius lapidis multum experimentum feciſſe teſtatur, utpote qui catenulam de huiuſmodi lapidibus fecerit, quam de collo ſuſpendit, ita ut lapides os uentris contingerent. Quidam etiam inquit, in anulum inſerunt ipſum, ſculpuntq; in ipſo draconem radios habentem. quemadmodum Nechæpſus rex libro decimoquarto ſcripſit. Ego autem nihil minus utiles cõperi eos qui talem ſculpturam non habebant, Eſſe tamen eiuſmodi lapidum

(margin: Iaſpidis uiridis utilitas.)

(margin: Vires lapidũ extra methodũ.)

uires extra methodi ratione͞ et usum, ibide͞ testatur.

DE SAPPHYRO. CAP. V.

SApphyri species digitis aptißima regum,
Egregium fulgens puroq́; simillima cœlo.
Vilior est nullo uirtutibus atq; decoro.
Sirtites lapis. Hic & Sirtites lapis à plerisq; uocatur,
Quòd circa Sirtes Libycis permixtus harenis
Fluctibus expulsus feruente freto reperitur.
Ille sed optimus est quem tellus Medica mittit,
Qui tamen asseritur nu͞quam transmittere uisum.
Quem natura potens tanto ditauit honore,
Gemma gemmaru͞. Vt sacer & meritò gemmarum gemma uocetur.
Nam corpus uegetum conseruat, et integra me͞bra.
Et qui portat eum, nequit ulla fraude noceri,
Inuidiam superat, nullo terrore mouetur.
Hic lapis, ut perhibent, educit carcere uinctos,
Obstructasq́; fores & uincula tacta resoluit,
Placatumq́; deum reddit precibusq́; fauentem.
Fertur & ad pacem bonus esse reconciliandam.
Et plus quàm reliquas amat ha͞c necromancia gem(mam.
Vt diuina queat per eam responsa mereri.
Corporeis etiam morbis lapis iste medetur.
Scilicet ardorem refrigerat interiorem.
Sudorem stringit nimio torrente fluentem:
Contritus lacte & superillitus ulcera sanat,
Tollit & ex oculis sordes frontisq́; dolores.

Et

Et uitijs linguæ simili ratione medetur.
Sed qui gestat eum castißimus esse iubetur.

Ille sed optimus est, quem tellus Medica mittit.)
Quædam exemplaria Indica habent pro Medica, sed falsò ut puto, Nam Plinius optimos apud Medos esse ait, nisi & apud ipsum, Indos pro Medos legere oporteat. De uiribus huius lapidis monstrosa quædam & superstitiosa traduntur tum hic, tum in uulgatis lapidum libellis. Galenus creditum esse tradit, ipsum prodesse potu à scorpio percußis, atq; hoc ipsum sane Diosco. prodidit, Qui de ipso etiam hæc tradit. Bibitur etiam inquit, ad internas ulcerationes, & ad eminentias in oculis, & pronuos ad uuæ similitudinem oculos, & pustulas coërcet & rupturas pelliculorum in ijsdem conglutinat. Medici. Sapphyri

DE CALCEDONE. CAP. VI.

Calcedon lapis est hebeti pallore refulgens,
Inter Iacinthum medioximus atq; berillum.
Qui si pertusus digito collóue geratur,
Is qui portat eum perhibetur uincere causas.
Hæc species lapidis tantum tricolor reperitur.

Vulgatißimus hodie apud Germanos lapis Calcedon est, uulgò Calcedonius appellatus. Gestaturq; et collo & brachijs alligatus, pertusus transmisse filo, sed & orariæ catenulæ ex ipso fiunt, Calcedonius.

quibus

quibus preces deo annumerantur, uulgò pater noster appellatæ. Amplius autem ad illusiones diabolicas arcendas ualere dicunt, hisq; conferre qui noctu in somnis obambulant, & per tecta ac tegulas repunt, qui morbus λυκανθρωπία à Paulo appellatur, quòd homines instar luporum omnia peruagantur.

λυκανθρωπία.

DE SMARAGDO. CAP. VII.

Omne uirens superat forma uiridante Smarag(dus
Cuius bis quinæ species binæq; ferũtur.
Sunt etenim Scythici, Bactriani, Niliaciq;,
Sunt & qui uenis nasci perhibentur in æris,
Quos maculis uitiosa notat natura metalli.
Sunt Carchedonij, reliquos piget enumerare.
Præcipuus Scythicis honor est & gloria maior,
Gryphibus eripiunt seruantibus hos Arimaspi.
Quos uisus penetrat famæ potioris habentur,
Quorum luce uirens uicinus tingitur aër,
Quos neq; sol mutat, nec clara lucerna, nec umbra.
Strata superficies quibus est, uel concaua forma
More iacentis aquæ, uultum spectantis adumbrant.
His usum speculis testatur fama Neronem,
Quum gladiatorum pugnas spectare liberet.
Optimus his situs est quorum sunt corpora plana,
Commodus iste lapis scrutantibus abdita fertur,
Quum præscire uolunt uel diuinare futura.

Specula ex Smaragdo.

Auget opes idem ſeſe reuerenter habentis.
Omnibus in cauſis dat perſuaſoria uerba.
Collo ſuſpenſus dirum ſugat hemitritæum,
Et ſanare poteſt ipſa ratione caducos.
Emendat feſſos uiridi mulcedine uiſus.
Fertur laſciuos etiam compeſcere motus.
Et tempeſtates auertere poſſe putatur.
Proficit in uiridem magis exactumq; colorem,
Ablutus uino, uiridiq; perunctus oliuo.

Eſſe Arimaſpos Scythiæ populos, uno oculo in fronte media inſignes, quib. aßiduè ſit bellũ circa metalla cum gryphis, ferarum uolucri genere eruente ex cuniculis aurum, mira cupiditate & feris cuſtodientibus, & Arimaſpis rapientibus, Plinius li. 7. cap. 2. ex Herodoto & Ariſtea proconeſio tradit. Idem tamen lib. 10. cap. 49. gryphas uolucres auritos aduncitate roſtri fabuloſos eſſe putat. Sed Solinus, qui tamen Plinij ſimia eſſe uidetur, planè adſtruit, In Aſiatica Scythia inquit, terræ ſunt locupletes, inhabitabiles tamen, Nam quum auro & gemmis affluant, Gryphes tenent uniuerſa, alites feroceßimæ, & ultra omnem rabiem ſæuientes. Quorum immanitate obſiſtente, aduenis acceſſus difficilis ac rarus eſt, quippe uiſos diſcerpunt, uelut geniti ad plectendam auariciæ temeritatem. Arimaſpi cum his dimicant, ut intercipiant lapides. Arimaſpi. Gryphes.

des. Smaragdis hic locus patria est, quibus tertiam inter lapides dignitatem Theophrastus dedit. Hæc Solinus: apud quem, itemq́; Plinium, etiam reliqua hic tradita habentur, præterquam ea quæ de commoditate & utilitate prodidit, quæ postea usu ac experientia cognita, in unum collecta esse uidentur, & ab omnibus uulgatis lapidarijs libellis similiter traduntur.

DE SARDONICHE. CAP. VIII.

Sardonychē faciūt duo nomina Sardus onyxq́;
Tres capit ex uinis unus lapis iste colores,
Albus inest nigro, atq; rubens superemine t albo.
Ipsum distribuunt species in quinq; magistri.
Sed qui tres puros impermixtosq́; colores
Sic in se retinent, ut distent limite certo.
His honor amplior est, & eorum forma probatur.
Densior, & rarò plus fertur habere decoris.
Hic solus lapidum ceram conuellere nescit.
Hic humilem castumq́; decet, uultuq́; pudentem.
Cuius uirtutes alias reperire nequiui.
Partibus hunc nostris Arabes, sed & India mittit.

Sardonyx unde.

Sardonyx nomen ex Sarda & onyche compositum habet, utriusq́; enim colorem refert, superficies eius probatur, inquit Solinus, si meratius rubeat, arguitur si fuerit feculentior. Medietas circuitur limite

limite candicante, reliqua nigro finiuntur. Quare quum hæc ita se habeant, mirũ est Plinium scribere: Sardonyches olim, ut ex nomine apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc est uelut carnibus ungue hominis imposito, et utroq; translucido: tanquã uidelicet appellatus sit Sardonyx, quasi Sarconyx, à carne & ungue humano. Itaq; ego credide rim pro carnibus legendum esse Sardæ, & si etiã sic legatur, tamen mirum est eum unguem hominis per onychem accipere, & non potius gemmam sic appellatam, quòd colorem humani unguis habeat. Sardonyx porrò gemma fuit, quam anulo inclusam Polycrates Samius tyrannus in mare mersit. Eáq; est qua primus Romanorum usus est prior Aphricanus, à quo etiam nobilitatem adepta est, intantum ut Clau. Cæsar smaragdos induerit & Sardonichas. Plinij locus.

DE ONYCHE. CAP. IX.

A Collo suspensus onyx, digitóue ligatus.
In somno lemures et tristia cuncta figurat,
Multiplicat lites, & commouet undiq; rixas.
Dicitur & pueris nimias augere saliuas.
Hãc quoq; dant nobis Arabes, dat et India gẽmam.
Hæc etiam quinas species perhibetur habere,
Sardius at præsens si sit, nil lædet onyx te.

Onychem gẽmam candorẽ habere unguis humani similitudine, Plin. ex Sudine citat, eundẽ Alabastritẽ Onyx.

quoq;

Alabastrites. quoq; appellari alibi testatur, cui consentit Galenus lib. 9. simp. pharm. sic scribens: Alabastrites quoq; lapis, appellatus Onyx, in usum medicum ustus uenit. Quidam ipsum stomachicis in potu præbent. Hæc Galen. Sunt qui onychem putant esse lapidem Corneolus. Corneolum uulgò appellatum, sed præsentis libelli autor seorsim infrà cap. xxij. de Corneolo agit, non facturus si eundem cū onyche putasset. Verā autem onychem plurimas uariasq; cum lacteis zonis habere uenas, omniū in transitu colore inenarrabili, & in unum redeunte contentum suauitate grata, Plinius ex Satyro citat. Sed hæ notæ in Corneolo non sunt. Et Corneoli uires cōtrariæ planè sunt his quas hic de onyche relatas habes.

DE SARDIO. CAP. X.

Sardius à Sardis, est à quibus ante repertus,
Sortitus nomen, rubri solet esse coloris.
Hic inter gemmas uilißimus esse putatur,
Præter fulgorem quum nil ferat utilitatis.
Excepto quòd onyx nequit hoc præsente nocere.
Huic quoq; dat quinas species studiosa uetustas.

Sardius. Sarda. Sardium Sardam Plinius uocat, et de ipso sic tradit. Omnia autem hæc genera sculpturæ contumaciter resistunt, partemq; ceræ in signo tenent.

Ediuerso

E diuerso ad hæc Sarda utilißima, quæ nomen cum Sardonyche communicauit. Ipsa gemma uulgaris & primum Sardibus reperta. Ex quo loco intelligere datur etiam id quod suprà de Sardonyche dictum est: Hic solus lapidum ceram conuellere nescit. Quidam etiam Sardium Corneolum esse falso arbitrati sunt.

DE CHRYSOLITHO. CA. XI.

Auro Chrysolithus micat et scintillat ut ignis,
Iste mari similis quiddãq; uiroris ad ũbrãs,
Esse phylacterium fixus perhibetur in auro,
Contra nocturnos fortis tutela timores,
Pertusus setis si traijciatur aselli.
Dæmonas exterret, & eos agitare putatur.
Traiectum læuo decet hunc gestare lacerto.
Aethiopes legimus nobis hanc mittere gemmam.

Colos appellauit Chrysolithum aureus, inquit Plinius, & alibi, Iacinthos mittit Aethiopia & Chrysolithos, aureo colore translucentes. Alij tamen duo chrysolithi genera faciunt, unum translucens aurei coloris, & ardentes quasdam scintillas emittens. Alterum uerò ceruleũ ac uirens, perinde ac si marina aqua ad uirorem tendat. De utroq; autem genere etiam præsens autor primis duobus uersibus docet. Phylacteria porrò dicuntur quæ ap- Chrysolithus. Phylacteria.

pensa aut gestata, conseruant ac tutantur à malis.
Sic Dioscorid. omnes Iaspides φυλακτήρια περίαπτα, hoc est, tutelaria amuleta esse dicit.

DE BERYLLO. CAP. XII.

Conspicuos reddit sexangula forma beryllos,
Quod nisi fiat, hebes his pallor inesse uidetur.
Eximios oleo similes lymphæq; marinæ
Esse uolunt, & eos probat horum gnara uetustas.
Hic lapis ad nostras partes descendit ab Indis.
Hic & coniugij gestare refertur amorem,
Et se portantem perhibetur magnificare,
Dicitur & sese stringentis adurere dextram.
Infirmis oculis in qua iacet unda medetur,
Potaq; ructatus simul & suspiria tollit.
Hepatis & cunctos fertur sanare dolores.
Istius esse nouem species uoluere magistri.

Berylli. Eandem multis naturam aut certè similem habere Berylli uidentur, inquit Plinius, in India originem habentes, rarò alibi reperti. Poliuntur omnes sexangula figura artificum ingenijs, quoniam hebescunt, ni color surdus repercussu angulorum excitetur. Aliter enim politi non habent fulgorem eundem, Probatissimi sunt e his qui uiriditatem puri maris imitantur. Hæc Plinius, ex quibus haud dubiè primi quinq; uersus sunt formati. Reliqua uerò

rò de utilitate, longe postea experimentis, ut credibile est, cognita ab omnibus lapidarijs libellis uulgò traduntur.

DE TOPAZIO. CAP. XIII.

Nominis eiusdem Topazion Insula gignit,
Qui quãto rarus tanto magis est preciosus,
Hic species binas tantum perhibetur habere.
Alterius puro color est uicinior auro,
Clarior alterius, tenuisq; magis reperitur.
Hic hæmorrhoicis fertur lapis auxiliari,
Quodq; magis mirum est limam sentire putatur.
Feruentes eadem compescere dicitur undas.
Gignit & hunc Arabum gemmis ditißima tellus.

Topazion insulam in rubro mari esse, ex Iuba Plinius tradit, nebulosam, & ideo sæpe à nauigantibus quæsitam, ex ea causa nomen accepisse. Topazin enim Teoglodytarum lingua significationem habere quærendi, In hac primum reperta est Topazius gemma quæ insulæ nomen seruat. Cæterum ex duobus eius generibus, alterum Prasoidem, à similitudine ad succum porri, alterum Chrysopteron ab aurearum alarum fulgore, appellari dicit. Eadem inquit idem, sola nobilium limam sentit, cæteræ saxo & cote poliuntur, hæc & usu atteritur. Quòd uerò feruentes aquas restinguat &

Topazius

Topazin.

Prasoides.

Chrysopteros.

ebullire prohibeat, experimento cognosci potest.

DE CHRYSOPRASIO.

CAP. XIIII.

Huc Chrisoprasiũ lapidũ domus India mittit.
Hic porri succũ referens, mixtusq; colore
Aureolis guttis, quasi purpura tincta renidet,
Quas habeat uires potui cognoscere nondum.
Sed tamen esse reor, nec fas est omnia nosse.

Chryso-prasius. Inter uiridantium gemmarum genera Plinius & Chrysoprason recenset, porri succum referentem, & paulum declinantem à Topazio in aurum. paulò ante autem dixerat Chrysopterum, de quo in præcedenti capite egimus, similem esse Chrysoprasio. Idem tamen Plinius ubi de beryllis agit, Vicinum genus inquit, huic est pallidius, & à quibusdam proprij generis existimatur, uocaturq; Chrysoprasius. In uulgatis lapidum libellis habetur, eum ad persuadendum ualere in rebus bonis, & obscuritati uisus conferre, quod sanè coloris uiridantis ratione euenire probabile est. Quare aut his omnibus uetustior est horum uersuum autor, aut his parum fidei habuit.

DE IACINTHO, CAP. XV.

IAcinthi species docti tres esse loquuntur,
Nam sunt Granati, sunt Citrini, Venetiq́;.
Confortatiuæ cuncti uirtutis habentur,
Tristitiasq́; fugant, & uanas suspiciones,
Granatos præfert gemmarum quisq́; peritus,
His rufus color est, & rarius inuenuuntur.
Cæruleus Veneto, qui protinus aëra sentit.
Nubilus obscuro, rutilans claruḿq́; sereno.
Optimus huic tenor est, quem nō aut densior æquo
Obscurat succus, aut rarus perspicuum dat,
Sed flos purpureus mixtus componit utrumq́;.
Hic & in os missus, plus frigidus esse probatur.
Duriciæ solida & cædi sculpiq́; recusat,
Fragmentis tantum superabilis est Adamantis.
Pallida Citrinos facies facit inferiores,
Sed quodcunq́; genus collo suspendere poßis,
Vel digito portes, terras securus adibis,
Nec tibi pestiferæ regionis causa nocebit.
Sed magis hospitibus censebere dignus honore.
Iustaq́; si qua petis nullam patiere repulsam.
Aethiopes nobis transmittunt hanc quoq́; gemmam.

Iacinthi species tres iuxta colorem differunt, alias uiribus ijsdem præditæ. Granatorū appellatio à colore floris mali granati est, qui & optimi censentur. Citatur à quibusdam Aristoteles autor, quód Iacinthi à prægnantibus gestati abortum fa- | Iacinthi. Granati. Aristote. liber de lapidib.

ciant. Nobis uelut non genuinus, suspectus est is libellus qui de lapidibus eius autoris nomine circumfertur.

DE AMETHYSTO. CA. XVI.

Purpureus color ac uiolaceus est Amethysto,
Qui quasi gutta meri solet aut rosa munda uideri,
Quidam marcidior uelut euanescit in albū,
Vt corruptus aqua uini rubor esse putetur.
India mittit eum gemmarum maxima nutrix.
Hic facilis sculpi, contrarius ebrietati.
Carus haberetur meritò si rarior esset,
At nunc negligitur quoniam, communis habetur.
Huic quoq; dat species ueterum sententia quinq;.

Amethystus unde. Amethystum quidam appellatum uolunt, quòd ebrietatem fuget, & ebrietati resistat, aiuntq; quum supra umbilicum ligantur, uini uaporem ipsos infringere, & sic ebrietatem dissoluere. Quomodo ἀμέθυσα pharmaca sanè appellata sunt ἀμέθυσα pharmaca, quæ ebrietatem arcent, & ab ipsa præseruant. quale esse ait Galenus lib. 2. cap. 2. de compo. medica. secundum locos, Absinthium mane potatum. Et lib. 3. de parabilibus, Amethystus inquit, conseruatur qui præsumpserit amygdalas amaras septem, aut nouem, aut undecim. Et rursus. Amethystus conseruatur qui pulmonem ouillum coctum ieiunus præsumpserit, hoc est, ut ne inebrietur. Verum Plinius non ob id

Amethyſtum lapidem uocari tradit, quòd ebrietati reſiſtat, ſed quòd ad uini colorẽ accedens, priusquã eum deguſtet, in uiolam deſinit, atq; ſic ex ipſo uini colore non inebrietur neq; exſatietur. Verba Plinij ſic habent. Cauſam nominis afferunt, quòd uſq; ad uini colorem accedens, priuſquam eum deguſtet, in uiolam deſinit, fulgorq́; quidam in illa purpuræ nõ ex toto igneus, ſed in uini colorem deficiens, perlucent autem omnes uiolaceo colore, ſculpturis faciles. Indicæ abſolutum purpuræ colorem habent, Ad hancq́; tingentium officinæ dirigunt uota, &c.

DE CHELIDONIO, CAP. XVII.

AT Chelidonius eſt lapis hic quem gignit hirundo,
Ventre gerens prætium quo digna ſit ipſa necari.
Nec de fulgentum numero lapis iſte putetur,
Paruus & informis, ſed nulli uiribus impar,
Quoſdam præclaros lapides præit utilitate.
Huius ſunt geminæ ſpecies, geminiq́; colores,
Nam niger & rufus cæſo de uentre trahuntur.
Cedit geſtato lunatica paßio rufo.
Curat & inſanos, et languores diuturnos,
Facundos facit & gratos, multisq́; placentes.
Ex lino facto decet hunc inuoluere panno,
Et ſic in chela clauſum portare ſiniſtra.
At niger in panno pacto geſtatus eodem,

Ad finem dignum suscepta negocia ducit.
Obsistitq; minis, & regum mitigat iras.
Et dilutus aqua languentia lumina sanat,
In croceo panno lini subtegmine texto
Iste lapis positus febres extinguere fertur,
Et simul humores compescere quosq; nociuos.

Chelidonij. Chelidonius ab hirundine nomen habet quæ χε λιδὼν græcis appellatur. Plinius lib. 11. ca. 37. de ipso sic ait: In uentre hirundinum pulli, lapilli candido aut rubenti colore, qui Chelidonij appellantur, magicis narrati artibus, reperiuntur. Facit itaque Chelidonium candidum aut rubentem, quum alij rufum et nigrum esse describant. Credo tamen pro narrati, legendum esse sacrati, ut uidelicet magicis artibus sacratos esse accipiamus. At uerò idem Plinius lib. 37. hirundinum colorem, album nimirum & nigrum, Chelidonijs tribuit, Chelidonij inquit, duorum sunt generum, hirundinum colore, et alia parte purpureæ, nigris interpellantibus maculis. Sed de hac uarietate minus mirandum, quàm quòd eodem libro cap. 11. ubi de gemmis ab animalibus appellatis agit. Taos pauoni est similis inquit, item aspidi, quam uocari Chelidoniam inuenio.

Plinij locus.

Plinij locus.

Quum enim in superioribus locis chelidoniã gemmam ab hirundine appellatam, & in hirundinum uentre reperiri prodiderit, hic ab aspide eam appellatam

Chelidoniæ aspides.

pellatam esse dicit. Et sanè aspides quodam sui genere chelidonias appellari, Galenus in libro de Theriaca ad pisonem testatur, itemque Aëtius sermonis 33. cap. 20. Sunt autem tres aspidum species iuxta eosdem autores, Terrestres, Chelidoniæ circa fluuiorum ripas, & præsertim Nili, latibula habentes, & Ptyades ab insputando ueneno appellatæ. Porrò ex pullis hirundinum extrahi hi lapides debent, uelut quidam tradunt, dum adhuc in nido hærent, atq; ita ut neq; terram tangant, neq; parentes adsint, dum denudis extrahuntur, atque id faciendum esse mense Augusto, quo perfectiores existunt. At uerò Lunaticos dixit comitiali morbo affectos, qui ferè interlunio corripere solet, et his etiam peculiaris esse qui interlunio nati sunt.

Aspidum species. Lunatici.

DE GAGATE. CAP. XVIII.

Nascitur in Lycia lapis et ꝓpe gēma Gagates
Sed gen⁹ eximiū lōginqua Britānia mittit.
Lucidus & niger est leuis, & leuißimus idem.
Vicinas paleas trahit attritu calefactus,
Ardet aqua lotus, restinguitur unctus oliuo.
Prodest gestatus tumidis intercute lympha.
Et dilutus aqua dentes firmat labefactos.
Per suffumigium muliebria menstrua reddit.
Accensus prodit fumi nidore caducos.
Effugat immites simili ratione Chelydros.

Idem dæmonibus contrarius esse putatur.
Euersos uentres iuuat & præcordia tensa,
Vincit præstigias & carmina dira resoluit.
Et solet ut perhibent deprehendere uirginitatem.
Prægnans potet aquam triduo qua mersus habetur,
Quo uexabatur fundit citò libera partum.

Gagates. Succinum. Gagates gummi potius esse quàm lapis aut gemma creditur, & ex Succinorum adeò genere plerique gagatem esse uolunt. Est autem lapis uulgatißimus, & ex eo orariæ catenulæ parantur, itēq; quædam imagunculæ, quæ nuper familiares erant his qui à diuo Iacobo peregrini nobis redibant, uulgò Agethsteyn. Agethsteyn corrupta uoce appellatur. & ut à reliquis succini generibus secernant, nigrum gagatem dicunt. Nam & albicans ac Citrinum succinum, Agethsteyn appellant, colorum nominibus simul expreßis, quanquam apud Effluos, qui hodie Liuones uocantur, ad littus Curense, ad quod multū Succinum eijcitur, album ac Citrinū, Bernsteyn uulgò appelletur, ab eo quòd incensum ardeat, nomine imposito. De gagate porrò apud Britannos Solinus sic ait: Gagates hic Plinius optimusq; lapis. Si decorem requiras, nigro gemmeus. Si qualitatem, nullius ferè ponderis. Si naturam, aqua ardet, oleo restinguitur. Si potestatem, attritum calefactus applicita detinet æque ut succinum. Plinius uerò Ga

gates

gates inquit, lapis nomen loci et amnis habet Gagis Lyciæ, Niger est planus, pumicosus, non multum à ligno differens, leuis, fragilis, odore si teratur grauis, fictilia ex eo inscripta non delentur. Quum uritur odorem sulphureum reddit, Mirumq; accenditur aqua, oleo restinguitur, fugat serpētes ita, recreatque uuluæ strangulationes. Deprehendit sonticum morbum & uirginitatem suffitus &c. Ex quibus uerbis omnes uersus declarantur, ut inde confícti esse cognoscantur.

Ardet aqua lotus.) Hoc non sic accipiendum est, quòd in aqua ardeat citra ignem. Sed quòd madefactus & lotus aqua, posteáq; igni admotus, ignem concipiat, & ingenti splendore ardeat, & si oleum ingeratur, extinguatur. Sic enim hanc rem ex Nestoris panacea declarat Constant. Cæsar li. 15. ca. 1. de agricultura. Porrò Chelydros pro serpentibus in communi dixit, quum sint χέλυδροι propriè testudines marinæ & aquaticæ. Cæterum quod ait, deprehendere uirginitatem, id ipsum Plinius suffitu contingere dicit, quomodo etiam morbum sonticum, id est comitialem, et caducū appellatum, deprehendit proditque ac arguit. Alij triduo in aquam mittendum censent, aquamque postea in potu exhibendam, & mulierem quidem ea pota statim urinam reddituram esse, uirginem uerò minimè. Idem etiam de Succini alijs generibus affirmant, nec

χέλυδρο

Virginitati depræhendēdæ.

nec sine ratione, quum & urinam prolectent, & calculos etiam comminuant ac expellant.

DE MAGNETE. CAP. XIX.

MAgnes hic lapis est inuentus apud Troglodytas,
Quem lapidem genitrix nihilominus India mittit,
Hic ferruginei cognoscitur esse coloris,
Cui natura dedit uicinum tollere ferrum.
Deucalion Magus hoc in primis dicitur usus,
Conscius in magica nihil esse potentius arte.
Post illum fertur famosa uenefica Circe
Hoc in præstigijs magicis specialiter usa.
Hinc & apud Medos, quum res uenisset in usum,
Detexit lapidis magis experientia uires.
Nam qui scire cupit sua num sit adultera coniunx,
Suppositum capiti lapidem stertentis adaptet,
Mox quæ casta manet, petit amplexura maritum,
Non autem euigilans cadit omnis adultera lecto,
Tanquam pulsa manu, subito fœtore coacta,
Quem lapis emittit cœlati criminis index.
Si fur claustra domus spolijs Gazisq; refertæ
Ingrediens, prunas ardentes per loca ponat,
Et super aspergat magnetis fragmina prunis,
Vt per tetragonum fumi calor alta uaporet.
Mentibus euersis, uelut impendente ruina,
Diffugient omnes, in ea quicunq; manebant.

Et fur securus rapiet quæcunq; libebit.
Conciliare potest uxoribus ipse maritos,
Et uice conuersa nuptas reuocare maritis.
Gratia præstatur simul & tutela per ipsum,
Sermonisq; decor, disceptandiq; facultas.
Cum mulsa potus purgando resoluit hydropem,
Et combusturis superaspersus medicatur.

Magnes lapis hodie notißimus est, præsertim ad Oceanum habitantibus, & maximè necessarius, quum sine ipso nauigatio nulla fieri poßit, unde etiam uulgò Segelsteyn, hoc est lapis nauticus, & ad uelificandum destinatus appellatur. A Magnete pastore inuentum ipsum, Nicander autor est apud Plinium, clauis crepidarum & baculi cuspide hærentibus quum armenta pasceret. Omnes ipsius uirtutes, quæ hic recensentur, & apud quoscunq; scriptores prædicantur, obfuscat uel unicus quem nauigantibus præbet, in rota nautica appellata, in qua semper ad polum arcticum tendere uidetur, ut & nubilosißi. tempestatibus, & profundißimis ac tenebrosißimis noctibus, nautæ ex ipso cognoscant, quam ad partē cœli nauis dirigenda sit, & quò cursus instituendus, undeq; remouēdus, quod ipsum ex contactu acus siue ferri contingit, quod ex natura sua trahit, adeò ut Plinius tradat, Ex eo lapide Dinocratem Architectum Alexandriæ, Arsinoes templum

Magnes.

Lapis nauticus.

Nautica rota.

Templum ex magnete. plum concamerare inchoasse, ut in eo simulachrum eius è ferro pendere in aëre uideretur. Sed intercessit mors & ipsius, & Ptolemæi, qui id sorori suæ iusserat fieri. Verum ridiculum est, quòd quidam tradiderunt non tutam esse nauigationem cum nauigijs ferratis, in his locis ubi generatur, quum timor sit ne à magnetis ui nauigia detineantur. Quomodo enim non hominis uires ualidiores sint quàm lapidis, ut ab hoc periculo se eximere poßint? At uerò id mirandum est, Adamantem prohibere ne ferrum trahat Magnes, itemq; allium Magneti affrictum

Allij uis. facere ut ferrum dimittat. Hoc enim Ptolemæus li. 1. quadriparti. cap. 3. tradit his uerbis, οὔτε τὸν σίδηρον ἡ μαγνῆτις ἑλκύσει παρατριβέντος αὐτῇ σκορόδου. Itẽ Plin. libri uigesimi proœmio,

Plinij locus. sed loco corrupto, qui sic legi debet. Atq; ut à sublimioribus recedamus, ferrum ad se trahẽte magnete lapide, & allio illito rursus abigente à sese. Idem est etiã apud Constant. Cæsarem li. 15. ca. 1. de agricultura his uerbis, uelut nos in eius uersione reddidi-

Siderites. mus. Magnetes lapis siue siderites attrahit ferrum. Expirat autem, si allium ipsi affricetur, Reuiuiscit autem sanguine hircino ipsi infuso.

DE CORALLO. CAP. XX.

Corallus lapis, est dum uiuit in æquore uimẽ.
Retibus euulsus, uel cæsus acumine ferri, è

Aëre contacto fit durior, & lapidescit.
Quiq; color uiridis fuerat modo, puniceus fit.
Hic uelut arbusti ramusculus esse uidetur,
Circa semipedem uix longior inueniendus.
Ex quo finguntur gestamina commoda multis.
Quippe salutaris gestantibus esse probatur.
Ipsius est, ut ait Zoroastres, mira potestas,
Et sicut scribit Metrodorus quàm optimus autor,
Fulmina, Typhonas, tempestatesq; repellit,
A rate, uel tecto, uel agro quocunq; feratur.
Ast in uinetis aspersus & inter oliuas,
Aut à ruricolis cum semine iactus in agros,
Grandinis auertit calamis contraria tela,
Multiplicans fructus ut fertilitate redundent.
Vmbras dæmonicas & thessala monstra repellit.
Introitus faciles præstat, finesq; secundos.

Corallium inquit Diosco. quod aliqui λιθόδεν-δρον, id est lapidarborem, appellauerunt, Videtur quidem planta marina esse, quum uerò ex alto extracta fuerit, & extra mare posita, consolidari, et uelut ferrum aqua tinctũ, ab externo circunfuso aëre congelari. Idem etiam alij sentiunt, & præsertim Plinius, apud quẽ quia locus de coralliis corruptiss. est, eum integrum adscribam ex fide uetustißimi manuscripti exẽplaris, cuius copiã mihi insignis medicus Philippus Pucheymerus reuerendiß. ac Illustriß. principis

Coralliũ. λιθόδενδρον.

Plinij locus.

principis Alberti cardinalis ac Archiepiscopi Maguntini ac Madeburgeñ. physicus fecit. Quantum apud nos Indicis Margaritis pretium est, de quibus suo loco satis diximus, tantũ apud Indos Curalio. Namque ista persuasione gentium constant. Gignitur quidem & in rubro mari, sed nigrius. Item in Persico, uocatur Iace, laudatissi. in Gallico sinu circa Stæchadas insulas, & in Siculo circa Aeolias & Drepanum. Nascitur & apud Grauiscas, & ante Neapolim Campaniæ, maximeq; rubens sed molle, & ideo uilissimum. Forma est ei fruticis, color uiridis. baccæ eius candidæ sub aqua & molles, exemptæ confestim durantur & rubescunt, qua cornæ satiuæ specie atq; magnitudine. Aiunt tactu protinus lapidescere si uiuat, Itaq; occupari euelliq; retibus, aut acri ferramento præcidi. Qua de causa curalium uocitatum interpretantur. Hæc Plinius & quædam alia. In his autẽ primũ Orchadas pro stœchadas in uulgatis exẽplaribus habetur falsò, Nam in mari ligustico circa Stœchadas Maßiliensium insulas coralium nascitur, uelut etiam Solinus testatur. Ligusticum mare inquit frutices procreat, qui quantisper fuerint in aquarum profundis fluxibus, tactu sunt prope carnulento &c. Deinde pro Aeolias, falsò habetur Heliam. postea Erythris uox falsò à quopiam supposita est, ante forma est ei, etc. Mox quasi, pro qua falsò legitur, uelut palàm & in

Curalium unde.

Stœchadas insulæ.

confesso

confesso est. Cæterum quod dixit Plinius, qua de causa Curalium uocitatum interpretamur, ego referendum puto ad hoc quod dixit, acri ferramento præcidi, ita ut Curalium dictum sit, quasi κουρᾶ & λωτόμ, id est tonsura & præsectione caputum. Vires porrò Medicæ à Dioscoride itemq; Plinio de corallio proditæ, ab horum uersuum autore prætéritæ sunt.

DE ALABANDINA. CAP. XXI.

EST Asiæ regio quæ nomen habens Alabanda,
Fert Alabandinam, cuius lex æmula Sardæ,
Iudicis ambiguum de nomine fallit acumen.

Niger est inquit Plinius, Alabanticus terræ suæ nomine, quanquam & Mileti nascens, ad purpuram tamen magis aspectu declinante, Idemq; liquatur igni, ac funditur ad usum uitri. Alij tradunt Alabandinam colore sic referre Sardam uel Sardium, de quo capite 10. egit, ut uix alter ab altero discerni poßit. Vires eius hic præteritæ sunt, uelut etiam suprà Sardij. Alabanticus.

DE CORNEOLO. CAP. XXII.

SEd neq; Corneolos lapides memorare pigebit,
Qui licet obscurũ uideantur habere ruborẽ,
Non spernenda tamen his creditur insita uirtus.

Nam lapis hic digito collóue gerentis adhærens,
In disceptando surgentes mitigat iras.
Quiq; lauaturæ carnis par esse uidetur,
Sanguinis ex membro sistit quocunq; fluorem,
Præcipue talem patitur si fœmina fluxum.

Corneolus lapis hodie & notißimus & frequen-
Corneolus tiß. ueteribus ignotus est: quidam tamen onychem,
alij sardam esse uolunt apud illos, uelut etiam supra
memini. Reperitur hic in Rheni flumine, sed ualde
rubens ad minij similitudinem. Vnde sanè credo Car-
Carneoli. neolum à carnis imagine appellatum, indeq; cor-
ruptam corneoli esse appellationem. Sunt tamen
etiam in his Orientales potiores reliquis. Et ex his
qui non ita penitus rubent, sed loturam carnis co-
lore referunt, sanguini undecunq; mananti sisten-
do prosunt.

DE CARBVNCVLO. CA. XXIII.

ARdētes gēmas superat Carbunculus omnes:
Nā uelut ignitus radios iacit undiq; carbo.
Nominis unde sui causam traxisse uidetur.
Anthrax. Sed græca lingua lapis idem dicitur Anthrax.
Huius nec tenebræ possunt extinguere lucem,
Quin flammas uibrans oculis nocet aspicientum.
Nascitur in Libya Troglodytarum regione.
Et species eius ter ternæ tresq; feruntur.

Inter ardentes gemmas principatum habent Carbunculi, inquit Plinius, à similitudine ignium appellati, quum ipsi non sentiant ignes, ob id à quibusdam apyroti uocati. Horum genera Indici & Garamãtici, quos et charchedonios uocauere, propter opulentiam Carthaginis magnæ. Adijciunt Aethiopicos et alabandicos &c. Idem li. 5. ca. 5. de eodem sic ait. Ab his ad troglodit as hyberni occasus plaga dierũ quatuor iter, cum quib. commertium gemmæ tantum, quam carbunculũ uocamus. Hæc itaq; uerba uersibus sunt expressa. Cæterum xij. species carbũculi hodie ferè ad quinq; redactæ sunt à uulgaribus lapidarijs. Et primã quidẽ carbunculũ uocant, alteram Rubinum, Tertiam Balaustiũ à floris mali punici syluestris colore, corrupte tamen Balasium dicunt. Quartã Rubith itemq; Spinellam. Quinto loco Granati consistunt.

Carbunculi. Apyroti. Rubinus. Balaustius Spinella. Granatus.

DE LYNCVRIO. CA. XXIIII.

Vertitur in lapidẽ qđ stillat ab inguine lyncis,
Lycuriũ uocitãt, & calculus est pretiosus.
Nam credunt ipsas hoc præsentiscere lynces.
Quæ mox egestum certant operire liquorem,
Dum superaccumulant congestæ pondus harenæ,
Scilicet inuida, ne nostros cedat in usus.
Electro similem Theophrastus habere colorem
Hunc ait, & simili paleas adducere pacto.
Affirmant ipsum stomachi placare dolorem,

Ictericis etiam priscum reparare uigorem,
Et perturbati compescere rheumata uentris.

De Lyncurio uaria est autorum sententia, Aëti us serm. 2. cap. 34. Electrum inquit, siue succinum, aut Lyncurium, potum dysenterias sanat, & stomachicis prodest, Sed & Chryselectrum potum cum mastiche dolores stomachi sanat. Eandem itaq; rem Electrum & succinum ac lyncurium putat, quod facit etiam sermo. 11. cap. 3. ubi ait: Lyncurij quod succinum itemq; Electrum appellant. Idem sentit Dioscor. libro 2. sic tradens: Vrina autem Lyncis, quæ sanè Lyncurium uocatur, simul ut eiecta est lapidescere creditur falsò, & ob id inanem historiam habet. Est enim Electrum ab aliquibus pennigerum appellatum, quòd potum ex aqua, stomacho & fluidæ aluo prodest. Sed Plinius de eodem sic prodit. De Lyncurio proximè dici cogit autorum pertinacia. Quippe etiamsi non Electrum id esset, Lyncurium tamen gemmam esse contendunt. Fieri autem ex urina quidem Lyncis, sed egestam terra protinus bestia operiente eam, quoniam inuideat hominum usui. Esse autem qualem in igneis succinis colorem scalpiq;. Nec folia tantum aut stramenta ad se rapere, sed æris etiam ac ferri laminas, quod Diocles quidem & Theophrastus credidit. Ego falsum id totũ arbitror, nec uisam in æuo nostro gemmam ullam ea appellatione, & quod de medicina simul proditur,

Lyncurium. Electrum. Succinũ. Chryselectrum.

proditur, calculos uesicæ ea pota elidi, et morbo re-
gio occurri si ex uino bibatur, aut si portetur.

DE ECHITE. CA. XXV.

INter præcipuos lapides numeratur Echites,
Quem petit extremis orbis Iouis ales ab oris,
Custodem nidi defensoremq; futurum,
Quo ualeat semper dubios auertere casus.
Continet hic alium prægnantis more lapillum,
Creditur ergo potens prægnantibus auxiliari,
Ne uel abortiuum faciant partuúe laborent,
Appensus læuo solito de more lacerto.
Confert præterea gestanti sobrietatem,
Auget diuitias, & amari cogit habentem,
Victoremq; facit, populiq; fauoribus ornat,
Incolumes pueros dat uiuere siue puellas,
Atq; caducorum fertur prohibere ruinas.
Si quis suspectus tibi sit de fraude ueneni,
Tuq; probare uelis sua num sit iniqua uoluntas,
Participem mensæ quem formidas adhibeto,
Pulmento posito cui sit submissus Echites:
Si fraus corde subest, tentans glutire, nequibit.
Si tuleris lapidem cupide gustata uorabit.
Purpureum lapis hic perhibetur habere colorem,
Oceaniq; latens in littoribus reperitur,
Aut aquile nidis, aut Persarum regione,
Quem gemini Castor Polluxq; tulisse feruntur.

Lapis quem his uersibus describit, non Echites, sed Aëtites appellatur. error inde inoleuit, quòd in diphthongo æ, altera uocalis perijt, & t. postea in ch. transijt. Habet quidem Plinius Echiten gemmam lib. 37. ca. 11. sed de ea non plura tradit, quàm quòd Echites à uiperæ colore sit appellata. Verum de Aëtite lib. 10. ca. 3. sic ait: Tribus primis et quinto Aquilarum generi inædificatur nido Aëtites lapis, quem aliqui dixere gagaten, ad multa remedia utilis, nihil igne deperdens. Est autem lapis iste prægnans, intus quum quatias, alio uelut in utero sonante. Sed uis illa medica non nisi nido direptis. Porrò de ui medica idem Plinius lib. 36. sic tradit: Aëtitæ omnes grauidis adalligati mulierib. uel quadrupedibus in pelliculis, scarificati uteri animalium continent partus, non nisi parturiant remouendi, alioqui uuluæ excidunt. Sed nisi parturientibus auferantur, omnino non pariunt. De eodem Const. cæsar li. 15. ca 1. sic ait: Aëtites duas naturas habet, Alter enim densus est & solidus, alter uerò rarus et inanis. Verum solidus alligatus mulieribus perficit fœtus, & continet usq; ad partus tempus. At uerò ut suspitionem meam studiosis aperiam, credo equidem apud Plin. lib. 10. cap. 3. pro eo quod dicit: quē aliqui dixere gagaten, legendum esse: quem aliqui dixerunt Echiten. atq; inde ex eo loco, & præsentium uersuum autorem, itemq; reliquos, Aëtiten lapidem

Echites. Aëtites. Gagates. Plinij locus.

bidem Echiten appellasse. Nam de gagate omnino alio lapide, suprà cap. 18, egimus.

DE GORGOTROMAEO. CAP. XXVI.

Pelli capreoli similis lapis esse refertur,
Ac diuersicolor, quē dicunt Gorgotromæū;
Quem qui gestarit dux pugnaturus in hostem,
Hostem depulsum terráq; mariq; fugabit.
Istius Alcides ope multa pericula uicit.
Succubuit, quoties lapidem non sustulit istum.

Quæ de hoc lapide hic tradidit, etiam in uulgatis lapidarijs libellis habentur, quorum aliqui Achillem pro Alcida, id est Hercule habent, adduntq; Orientales populos magnam istorum lapidum copiā habere, & ex ipsis ensium capulos facere, propter uim ipsius lapidis, quæ uictorem in prælio gestantem facit. Quorum omnium fidem apud autores istos relinquo, Certè apud ueteres de hoc lapide nihil reperio, nisi est Gorgonias apud Plinium. qui tamen nihil aliud est, quàm corallium, nominis causa quod in duriciam lapidis mutatur, uelut ipse Plinius ait, mollis in mari, sic enim legendum est eo loco, & non, emollit marina. Nota autem est fabula de Gorgonis Medusæ anguifero capite, quum ex alijs, tum ex Ouidij libro quarto Metamorphoseon, cuius contactu uirgæ coralij in lapidē obriguerunt. Gorgotromæus. Gorgonias. Plinij locus.

Siue autem idem est Gorgotromæus cum Gorgonia, siue non, appellatio sanè uidetur ab eo imposita esse, quod instar gorgonis, τρομεῖν, id est tremere faciat, & hostibus terrorem incutiat.

DE CERAVNIO. CAP. XXVII.

VEntorum rabie quum turbidus æstuat aër,
Quũ tonat horrendũ, quum fulgurat igneus æther,
Nubibus elisus cœlo cadit ille lapillus,
Cuius apud Græcos extat de fulmine nomen.
Illis quippe locis quos constat fulmine tactos,
Iste lapis tantum reperiri posse putatur,
Vnde ceraunius est græco sermone uocatus.
Nam quod nos fulmen, græci dixere ceraunon.
Qui caste gerit hunc à fulmine non ferietur,
Nec domus aut uillæ, quibus affuerit lapis ille.
Sed neq; nauigio per flumen uel mare uectus
Turbine mergetur, nec fulmine percutietur.
Ad causas etiam uincendaq; prælia prodest,
Et dulces somnos, & somnia læta ministrans.
Huic binæ species dantur, totidemq; colores.
Crystallo similem Carmania mittere fertur,
Ceruleo tamen infectum rutiloq; colore.
Mittit & Hispaniæ regione manens Lusitana,
Flammas spargentem, similemq; colore pyropo.

Ceraunius De Ceraunio lapide, siue Ceraunia gemma Pli-

nius sic. Est inter candidas & quæ Ceraunia uocatur, fulgorem siderum rapiens, ipsa crystallina splendoris cærulei, in Carmania nascens, &c. Et paulò post. Sotacus & alia duo genera fecit cerauniæ, nigras rubentesq; ac similes esse eas securibus, per illas quæ nigræ sunt & rotundæ, urbes expugnari & classes, easq; betulos uocari: quæ uerò longæ sunt ceraunias. Faciunt & aliam raram admodum et Parthorum Magis quæsitam, quoniam non alibi inueniatur, quàm in loco fulmine icto, hæc Plinius, apud quem uide mihi num sit botulos pro betulos legendum, à similitudine ad farti genus quod botulum uocant. Duplex itaq; genus ceraunij est, alterum in terra nascens, alterū ex cœlo delabens.

Ceraunia. Betuli. Plinij locus. Botuli.

DE HELIOTROPIA. CAP. XXVIII.

Ex re nomen habens est Heliotropia gemma,
Quod solis radijs in aquæ subiecta batillo,
Sanguineum reddit mutato lumine solem.
Eclipsimq; nouam terris infundere cogit.
Deinq; post modicum uas ebullire uidebis,
Aspergiq; foras subitæ scaturiginis imbrem,
Vt sit quum nimbis destillat turbidus aër.
Se quoq; gestanti dat plurima uaticinari,
Atq; futurarum quædam prænoscere rerum.

Hosq́; bonæ famæ quibus est data laudibus ornat.
Seruat & incolumes producens tempora uitæ,
Sanguinis adstringit fluxum, pellitq́; uenena,
Nec falli poterit lapidem qui gesserit illum,
Tot bona diuino sunt huic data munere gemmæ.
Cui tamen amplior his concessa potentia fertur.
Nam si iungatur eiusdem nominis herbæ,
Carmine legitimo, uerboq́; sacrata potenti,
Subtrahit humanis oculis quencunq; gerentem.
Hanc nūc Aethiopes, nūc Cyprus et Africa mittit,
Sanguinis aspersam guttis, similemq́; smaragdo.

Heliotropia.

Heliotropia gemma uelut herba eiusdem nominis, ab eo appellata est, quòd ad solem mutetur. Nascitur, ut Plinius inquit, in Aethiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, sanguineis uenis distincta, causa nominis, quoniam deiecta in uas aquæ fulgorem solis accedentem repercussu sanguineo mutat, maximè Aethiopica, eadem extra aquam, speculi modo solem accipit, depræhēditurq́; defectus, subeuntem lunam ostendens. Magorum impudentiæ uel uanissimum hoc quoq; exemplum est, quoniam admixta herba heliotropio, quibusdam quoq; additis precationibus, gerentem conspici negent. Hactenus Plinius.

Inuisibilis ut fias.

DE CHELONITE. CAP. XXIX.

Indicos

INdica testudo lapidem mittit Cheloniten,
Gratum purpureo uarioq; colore nitentem,
Quem si sub lingua loto quis gesserit ore,
Posse Magi credunt hunc diuinare futura,
Orto mane die sextam duntaxat ad horam,
Tempore quo lunæ succrescere cernitur orbis.
Sed luna prima lapidis prædicta potestas,
Totius fertur spatio durare diei,
Quintæ post decimam concordant tempora primæ
At detrimenti lunaris tempore toto,
Ante diem tantum lapidi manet ista potestas.
Est etiam nulli lapis hic obnoxius igni.

Cheloniten Plinius Cheloniam appellat, & oculus inquit, est Indicæ testudinis uel portentosissima Magorum mendacijs, Melle enim colluto ore impositam linguæ, futurorum diuinationem præstare promittunt, quinta decima luna & silente, tota die, decrescente uerò ante solis ortum, cæteris uerò diebus à prima in sextam horam. Idem Plinius etiam chelonitides gemmas testudinum similes paulò post hunc locum habet, itidem uaticinijs destinatas. Chelonites. Chelonia. Chelonitides.

DE HIERACITE. CAP. XXX.

AST hieraciten uetus experientia laudat.
Iste colore niger superat uirtute colorem.
Quem prius abluto si quis gestauerit ore,

Dicere

Dicere mox poterit quid de se cogitet alter.
Huic quoq; semper inest imperatoria uirtus,
Qua nequeat mulier quicquam prohibere petenti.
Huius sic uirtus perhibetur posse probari.
Muscis expositum corpus nudato gremis,
Lactis commixto mellisq; liquore perunctum,
Intactum cupido miraberis agmine linqui.
Si lapidem abstuleris facto grege spicula figent,
Imbutamq; cutem sugent per uulnera mille.

Hieracites Hieracites ab accipitre nomen habet, inquit Plinius qui ἱέραξ græcis appellatur. De eodem tamen alibi Plinius ait. Hieracites alternat tota, miluinis nigricans ueluti plumis, ut inter Miluū ac accipitrē nō distinguat his locis. Nec plura de hoc lapide apud Veteres reperio. Quæ uerò his uersibus compræhēsa sunt, etiā in uulgatis gemmarijs libellis extant.

DE SELENITE. CA. XXXI.

Nec Selenitem fas est omnino sileri,
Qui uelut herba uirens, & aspidis æmula (gēma,
Lunares motus et menstrua tēpora seruat.
Crescit enim luna crescente, minorq; minuta
Efficitur, tanquam cœlestibus anxia damnis,
Idcirco Sancta lapis à plerisq; uocatur.
Dicitur esse potens ad amorem conciliandum,
Languentes etiam phthisicosq; iuuare putatur.
Toto gestatus crescentis tempore lunæ,

Nec minus & toto per detrimenta fluentis,
Effectus miros & commoda plurima præstat.
Hanc autem gemmam dicunt in Perside nasci.

Selenites gemma à luna appellata est, σελήνη græcis dicta, Ea ex candido translucet inquit Plinius, melleo fulgore, imaginem lunæ continens, redditq; eam in dies singulos crescentis minuentisq; numero, nasciq; putatur in arabia. Hæc Plinius. Nec diuersa tradit Diosco. Alij eandem cum chelonite hanc gemmam esse putant. Selenites. Chelonites.

DE HEPHESTITE. CAP. XXXII.

Nascitur in bimari preciosior ære Corintho,
Dicta Hephestites rutilans gemma & rubi
Quæ si feruenti fuerit coniecta in aheno, (cunda
Ignibus exultans prius, illico sistitur unda,
Frigida post modicum lapidis uirtute futura.
Fructibus à terræ uolucres arcere locustas
Et nebulas steriles, & grandinis improba fertur
Verbera, nec turbo quos protegit iste nocebit.
Ad solem positus radios emittit & ignem,
Mirantes oculos perstringens luce corusca.
Accensas idem compescit seditiones,
Et tutum seruat dubia sub sorte gerentem,
Pectore sed memori fixum teneamus oportet,
Qua cor parte iacet, lapides hos esse gerendos.

Hephestites lapis ab Hephesto, id est Vulcano fabro deorũ, & ignis tutelari numine dictus uidetur: plinius de eo sic. Hephestites quoq; speculi naturã habet in reddendis imaginibus, quanquam rutila. Experimentum est, si feruentem aquam addita statim refrigeret, aut si in solem addita aridam materiam accendat. Nascitur in coryco. Sic quidem uulgata Plinij exemplaria habent. Sed legendum est corintho pro coryco, quam bimarem dixit hic autor in primo uersu, propter Isthmum, qui quasi duo maria facere uidetur. Nota autem sunt æra Corinthia itemq; uasa, quorum æstimationi ac prætio præfert gemmam hephestitem.

Hephestites. Hephestus. Vulcanus deus ignis. Plinij locus. Corinthus bimaris.

DE HAEMATITE CA. XXXIII.

FErt Hæmatites græcum de sanguine nomen,
Naturæ lapis humanæ seruire creatus.
Styptica cui uirtus per multa probatur inesse,
Nam palpebrarum superillitus asperitatem,
Et uisus hebetes pulsa caligine sanat.
Eius fragmento si glarea mixta sit oui,
Succo dilutus quem punica mala remittunt,
In medicinali ualet ad collyria cote.
Vel resolutus aqua, iuuat hos qui sanguinis ore
Spumas emittunt, & quæ linit ulcera sanat.
Potatus stringit patitur quem fœmina fluxum.
Carnes crescentes in uulnere pulueris huius

Vis premit, & uentrem retinet sine more fluentē.
Vino dilutus ueteri bibitusq; frequenter,
Serpentis morsum, uel quod fit ab aspide uulnus
Egregie curat, resolutus aquis & inunctus.
Mixtus melle, potest oculos sanare dolentes.
Vesicæ lapidem bibitus dissoluere fertur.
Hic ferrugineo rufoq; colore notatur.
Africa mittit eum, sed & Aethiopes Arabesq;.

Hæmatites lapis etiam hodie officinis & in usu medico notus, à sanguine, quasi Sanguinarius appellatus est, uel ob rubētes instar sanguinis uenas, ex quibus etiā dum liquore teritur aliquo sanguineum colo rēfundit, uel ob uim quam in sistendo sanguine habet. Vires eius ex Dioscoride ac Plinio, itemq; Galeno adscriptæ sunt, ex uulgato usu ab omnibus posterioribus comprobatæ. *Hæmatites. Sanguinarius lapis.*

DE ASBESTO. CA. XXXIIII.

ARcadiæ tellus lapidem producit Asbeston,
Ferreus huic color est, naturæ mira potestas.
Nam semel accensus conceptos detinet ignes,
Extinguiq; nequit collucens perpete flamma.

Asbestos quasi inextinguibilis græcis appellatus est, ab eo quòd perpetuam flammam conseruat, citra ullius liquoris aut alterius alimenti additionem. De hoc Plinius sic, Asbestos in Arcadiæ *Asbestos, lapis inextinguibilis.*

montib.

montibus nascitur, coloris ferrei.

DE SAGDA. CAP. XXXV.

Difficilis gēmas super omnes Sagda repertu,
Nusquā sciretur nisi se daret inueniendam.
In medio siquidem natus lapis iste profundo,
Naues ui quadam petit è regione meantes,
Et prælabentis tabulis hærendo carinæ,
Ad portum trahitur, mox ignaris data nautis.
Est autem morsu tabulæ sic fixa tenaci,
Quod nequit abrasa ligni sine parte reuelli.
Huic prasimus color est, regio Chaldaica tellus.

Sagda. Sagdæ gemmæ appellatio barbara ac Chaldaica esse uidetur, Plinius Sagdam inquit, Chaldæi adhærescentem nauibus habent. Inuenitur prasini coloris. Quæ uerba ex ipso omnes qui de gemmis prodiderunt transcripserunt.

DE PEANITE. CAP. XXXVI.

Gignitur in macedū regione lapis Peanites
Fœminei sexus referens imitando labores.
Nam quibus è causis, dubium, sed tempore certo
Concipit, & parit, & parientibus auxiliatur,
Vltima quas urget dubij discriminis hora.

Peanites. Et huius lapidis historia ex Plinio sumpta est,

Vocat

Vocat autem gemmas Pæantides, & de his sic tradit: Pæantides quas quidam Gemonidas uocant, prægnantes fieri ac parere dicuntur, mederiq; parturientibus. Nã tales in Macedonia iuxta monumentum Tiresiæ inueniuntur, speciesq; est eis aquæ glatiatæ. Gemonides porrò dictæ uidentur, ab eo quod grauidæ sunt, & plenum uterum gestant, ἀπὸ τοῦ γέμειν. Pæantides gemmæ. Gemonides.

DE MEDO. CAP. XXXVII.

Ast in Medorum regione lapis reperitur,
Quem Medũ uocitant mortis dator atq; salutis.
Namq; super cotem muliebri lacte solutus,
Quæ semel atq; marem peperit, persanat inunctus
Visu fraudatos multo iam tempore cæcos.
Qui medicinalis uiridis solet esse coloris,
Lacte solutus ouis semel atq; marem parientis.
Expellit ueterem simili ratione podagram,
Et fessas reficit sub anhelo pectore fibras.
Hoc & Nephritici sanantur ab unguine rhenes.
Debet in argento clausus uitro ue reponi,
Ieiunoq; dari sic utile fit medicamen.
At resolutus aquis cotis sibi fragmine mixto,
Et porrectus ei tibi quem decreueris hostem,
Vt lauet inde suam quasi medicamine frontem,
Obducet miseros extincto lumine uultus.
Si potum dederis, uomito pulmone peribit.



Hic totus niger est, nec non & tota potestas,
Candida dum prodest, dum lædit nigra uocatur.

Medus. Medea. Medus lapis apud Plinium non extat, sed Medea, quæ ut ait, nigra est, à Medea illa fabulosa inuenta, habet uenas aurei coloris, sudorem reddit croci, saporem autem uini. Vulgares quidam gemmarij libelli Medum & Medeam pro eadem gemma accipiunt, & hæc omnia his conscripta uersibus, itemque ea quæ Plinius dixit, de eadē gemma produnt. Alij diuersas gemmas faciunt. Nec est quòd in hac obscuritate pronuntiari poßit

DE CHALAZIA. CAP. XXXVIII.

EST quæ candorem fert grandinis atq; figurā,
Ictibus omnimodis inuicta Chalazia gemma.
Cuius naturæ uis tanta probatur, ut omni
Frigido tempore sit, nulloq; calescat ab igne.

Chalazias Chalazias gemma à grandine nomen habet, aliàs duricia inuicta, uelut Adamas, & perpetuo frigore horrida, ut neq; ab igne calescat. Quapropter eam libidinum feruores, aliasq; calidas affectiones mitigare prædicant. Plinius de hac gemma sic. Chalazias grandinum & colorem et figuram habet, adamantinæ duritiæ. Narrant etiam in igne m additæ manere suum frigus.

DE HEXACONTALITHO CAP. XXXIX.

Hexacontalithos lapis ex re nomen adeptus,
Qui sexaginta modico gerit orbe colores,
Corporis exigui numero dispendia supplet,
Dum tot gemmarum fert gemmula sola colores.
In Libya lapis reperitur apud Troglodita.

Hexacontalithos à sexaginta coloribus, quibus uariegatus est, nomen inuenit, alij tamen quadraginta tantum coloribus distinctum esse uolunt. Plinius ab eo quòd in parua magnitudine multicolor sit, hoc nomen sibi adoptasse ait, ut numerus certus pro incerto in uoce eius nominis expressus sit, Hexacontalithos.

DE PRASIO. CAP. XL.

Conspicuis Prasius gemmis solet annumerari.
Sed nō est carus, contemptus quippe, decore
Vtile nil confert, nisi quòd uiret, & decet aurum,
Altera sanguineis species interlita guttis.
Tertia candidulis tribus est inscripta lituris.

Hæc ferè ad uerbum ex Plinio sunt transcripta. Viridantium inquit, & alia plura sunt genera. Vilioris est turbæ Prasius, Cuius alterum genus sanguineis punctis obhorret. Tertium tribus

uirgulis distinctum est candidum. Et subdit: Præfertur his Chrysoprasius, porri succum & ipsa referente &c. Ex quibus uerbis palam fit prasium à colore prasi, id est porri appellatum esse. De Chrysoprasio uerò suprà ca. 13. habuimus. Cæterũ quòd negat hic utilem esse, etiam suprà de Chrysoprasio dixit. Sunt tamen qui uisum confortare affirmant, id quod coloris ratione euenire probabile est, & quod Smaragdi ac Iaspidis uiribus correspondeat.

DE CHRYSTALLO. CAP. XLI.

Crystallus glacies multos durata per annos,
Vt placuit doctis qui sic scripsere quibusdã.
Germinis antiqui frigus tenet atq; colorem.
Pars negat, & multis perhibent in partibus orbis
Crystallum nasci, quas nec uis frigoris ulla,
Nec glacialis hyems unquam uiolasse probatur.
Sed certum cunctis stat nec dubitabile cuiquam,
Quod lapis hic soli subiectus concipit ignem.
Admotosq; sibi solet hic accendere fungos.
Hunc etiam quidam tritum cum melle propinant
Matribus, infantes quibus aßignantur alendi.
Quo potu credunt repleri ubera lacte.

Crystalli uox Græcis glaciem significat. Est enim humor gelu uehementiore concretus. Sic Plinius

nius quum tradidisset murrham humorem sub terra calore densari, Contraria huic causa inquit, Crystallū facit, gelu uehementiore cōcretum. Nec alibi certè reperitur, quàm ubi maximè hybernæ niues rigent, glaciemq́; esse certum est, unde & nomen Græci dedere. Oriens et hāc mittit, sed Indicæ nulla præfertur. Nascitur & in Asia, uilißima circa Alabandam et Orthosiam, finitimisq́; montibus, Item in Cypro. Sed laudata in Europæ alpium iugis, Alij uerò contrà sentiunt, argumento quòd etiam in meridionalibus partibus Crystallus reperiatur, ubi nec nix, nec gelu existat. Hodie frequentißimus est hic lapis, ut etiam pocula & uitri genera ex ipso fiant. Murrha.

DE GALACTITE. CAP. XLII.

Sic & Galactiten cineri similem facere aiunt,
Cum mulsa tritum lac multiplicare bibentis
Si tamen ante cibos fuerit post balnea sumptus.
Aut ouis ex grauidæ lana traducere filum
Pertuso lapidi decet, & circundare collo,
Sic se portantis fœcundet ut ubera lacte.
Dat facilem partum simili ratione ligatus,
Fœmur ad illius quæ parturiendo laborat.
At si mundato circumspargatur ouili,
Cum sale mixtus aquæ solis redeuntis in ortu,

Lacte replentur oues, scabiesq; maligna fugatur.
Praeterea ueteres tantis hunc laudibus ornant,
Vt bona cuncta putent solum praestare gerenti,
Quae simul à reliquis iuncta uirtute darentur.
Sed turbat mentem si clausus in ore liquescat.
Hunc mittit Nilus, producit & hunc Achelous.
Lactis dat succum tritus lactisq; saporem.

Galactites

Galactites inquit Dioscorides, appellatus est ab eo quòd lacteum succum remittat, aliàs tamen cinereum colorem habet, dulcis sapore. Conducit ad oculorum fluxiones & ulcera illitus. Oportet autem ipsum aqua tritum reponere in pyxide plumbea, propter glutinositatem. Haec Diosco. Verum Galactiten cum galaxia confudit, quum Galaxia sit morochthus et leucographis à Dioscoride dicta, non autem Galactites, de quo scorsim agit. Idem tamen Plinius ait. Sunt qui Smaragdum albis uenis circunligatum galactiten uocent.

Galaxia. Morochthus. Leucographis.

DE ORITE. CAP. XLIII.

Letiferos morsus niger atq; rotundus Orites,
Quos fera uel cornu, saeuo uel dente peregit,
Cum roseo mixtus perfecte curat oliuo.
Per uastas heremos, interq; feras gradientes,
Illaesos seruat morsus abigendo ferarum.

Qui

Qui uiret & maculas habet albas alter Orites,
Casibus aduersis portatus ubiq; resistit.
Tertius asseritur fimæ grauioris orites,
Altera pars cuius crebris est aspera clauis,
Altera læuior est corpus, quasi lamina ferri,
Hic facit appensus ne fiat fœmina prægnans,
Aut ut si prægnans fuerit citò fundat abortum.

Orites inquit Plinius, globosa specie, à quibusdam & Siderites uocatur, ignem non sentiens. Reliqua quæ his uersibus produntur, etiam in uulgaribus gemmarijs habentur. Orites. Siderites.

DE HYAENIA. CAP. XLIIII.

Tollitur ex oculis lapis extollendus hyænæ,
Dictus Hyenia, quem ueteres, si credere dignū est,
Fatidicū numē memorāt inferre gerenti,
Quo queat imbutus prædicere quæq; futura,
Sub lingua loto si contineatur in ore.

Hyænia gemma à bestia nomen habet hyæna, ex cuius oculis est, ut Plinius ait, & ob id in uase inueniri hæ gemmæ dicuntur, et si credimus, linguæ hominis subditæ, futura prædicere faciunt. Sic enim legendum est, sed in uulgatis exemplaribus, uox faciunt, in totum deest. Hyænia. Hyæna. Plinij locus.

DE LIPAREA. CAP. XLV.

PArtibus in Lybicis lapis est liparea uocatus,
Ad quē spōte sua properat genus omne ferarū,
Quas uenatorum sueuit labor exagitare.
Non eget ergo canum cursu, curáue sagaci,
Saltus perlustrans lapidem qui gesserit istum,
Sternendæ satis est uenabula tollere prædæ.

Liparea. Plinius de hac gemma sic ait. De Liparea hoc tantum traditur, suffita ea omnes bestias euocari. Atque hoc est quod etiam his uersibus docetur, Ad quem sponte sua properat &c. Alij uero dicunt bestias, dum canes urgent, & uenator instat, ad hunc lapidem confugere, tanquam auxiliatorem ac defensorem, fieriq; ut quàm diu lapidem aspiciant, nec à canibus, nec uenatore uideantur.

DE ENHYDRO. CAP. XLVI.

PErpetui fletus lachrymis destillat Enhydros,
Quæ uelut è pleni fontis scaturigine manāt.
Cuius naturæ graue sit deprendere causam.
Nam si decurrit lapidis substantia, quare
Non minor efficitur, uel non omnino liquescit?
Sin ros exterior descendit ad interiora,
Vt semper refluat, cur se non impedit ipsum,
Scilicet ingrediens contrarius egredienti?

Enhydros

Enhydros lapis dictus est, quasi in aqua positus, uel potius intus aquam habens, uelut his declaratur uersibus, quòd perpetuis aquæ guttis stillet, de cuius sanè rei causa dubius est hic autor. Videtur tamen frigiditas ipsius, qua uelut etiam colore, crystallum proximè accedit, hoc efficere, quæ aërē attingentem in aquam perpetuò commutet, si tamen in eiusmodi naturaliter contingentibus, ullam temperamentorũ rationem rectè exquirimus. Plinius hanc rem de hac gemma aliter tradidit. Enhydros inquit semper rotunditatis absolutæ, in candore est læuis, sed ad motum fluctuat intus in ea ueluti in ouis liquor. Enhydros

DE IRI. CAP. XLVII.

IRim dant Arabes, sed gignit eum mare rubrum,
Crystallo similem, cuius sexangula forma,
Clara luce micans, fert causam nominis huius.
Nam si sub tecto, radio sit subdita solis,
Proximus inficitur paries, uarioq; colore
Arcus cœlestis depingit utrimq; figuram.

Iris ab arcu cœlesti iride appellato, cuius colores ex se reddit & eiaculatur, nomen adeptus est. De ea Plinius sic: Proximũ Ceraunıæ nomē apud eos habet, quæ appellatur Iris. Effoditur in quadam insula rubri maris, quæ distat à Berenice urbe lx. Iris. Arcus cœlestis. Ceraunius.

Crystallus

M.pass.,cætera sui parte Crystallus. Itaq; quidam radicem Criystalli esse dixerunt. Vocatur ex argumento Iris. Nam sub tecto sole percussa, species & colores arcus cœlestis in proximos parietes eiaculatur, subinde mu ans, magnaq; uarietate admirationem sui augens. Sexangulam esse ut Crystallum constat. Hæc Plinius. Quidam hodie etiam in Germania, & ad Rhenum fluuium inueniri eam tradunt.

DE ANDRODAMANTE. CAP. XLVIII.

Androdamas lapis est formæ quasi tessera quæ
Dicitur argẽti repræsentare colorẽ, (dræ,
Cuius duricies quasi duricies adamantis.
Ipse maris rubri mixtus reperitur harenis.
Quem Magus affirmat tantæ uirtutis haberi,
Vt poßit præsens animos sedare calentes.

Androdamas. Adamas. Argyrodamas. Hæmatites.

Hæc fermè ad uerbum ex Plinio sumpta sunt, Androdamas inquit, argenti nitorem habet, ut Adamas, quadrata, & semper tessellis similis. Magi putant nomen impositum ab eo, quod impetus hominum & iracundias domet. Eadem sit an alia Argyrodamas, autores non explicant. Hæc Plin. Appellata itaq; est gemma Androdamas, quasi uirum domans. Verum idem Plinius alio loco hæmatitarum

generis Androdamanta facit, ex Sotaci autoritate sic tradens. Alterum Androdamanta dicit uocari, colore nigro, pondere ac duritia insignem, & inde nomen traxisse, præcipueq; in Africa repertum, Trahere autem in se argentum, æs, ferrum. Ex his itaq; Plinij uerbis indicatur, Adrodamantem gemmam non ex eo quod impetus & iracundias hominum domet, appellatam esse, sed quod pondere & duritia sua uiros domet. Deinde quum dicit ipsam trahere in se argentum, indicat eundem lapidem esse argyrodamantem et Androdamantē. Siquidem Argyrodamas nihil aliud est, quàm argentum domans, ad se uidelicet trahendo.

DE OPHTHALMIO. CAP. XLIX.

AVertens oculis morbos Ophthalmius oēs,
Asseritur furum tutißimus esse patronus.
Nam se gestantum uisus conseruat acutos,
Ac circumstantes obducta nube recondit, Inuisibilis ut fias.
Vt spoliare domos poßint impune latrones.

Ophthalmius lapis ab oculis appellationem adeptus est, quibus commodus esse, & à quibus morbos auertere putatur. Alium autem ab ophthalmo faciunt uulgares lapidarij libelli, ex Alberto Ophthalmius.

Opalus. & Arnoldo, & nescio quibus alijs obscuris autoribus collecti, eum qui opalus à Plinio dicitur, & tamen easdem uires utriq; ascribunt, quas uidelicet hic uersibus expressas habes. Ego sanè Opalum esse puto qui hic describitur, etiamsi uires hæ apud Plinium non sint expressæ, arbitrorq; aut Opali uocē in ophthalmij esse corruptam, aut uice uersa ophthalmij uocem esse integram, & in opali uocem corruptam apud Plinium, qui de Opalis sic tradit, loquitur de beryllis. Minimum ijdemq; plurimum ab his differunt Opali, smaragdis tantum cedentes. India sola & horum est mater. Atque ideo eis preciosissimam gloriam compositores gemmarum & maximè inenarrabilem difficultatem dederunt. Est enim in his carbunculi tenuior ignis. Est Amethysti fulgens purpura, Est smaragdi uirens mare, & cuncta pariter incredibili mixtura lucentia. Alij summo fulgoris argumento colores pigmentorum æquauere. Alij sulphuris ardentem flammam, aut etiam ignis oleo accensi. Magnitudo nucem auellanam æquat. Hæc Plinius.

DE VNIONE. CAP. L.

Tollitur è cōchis species memorāda marinis,
Vnio dictus ob hoc, q; ab una tollitur unus,
Nec duo uel plures unquam simul inueniuntur.

Cuius

Cuius ad ornatum laudatur candida forma.
Quum deceat uestes, decet & nihilominus aurum.
Conchæ temporibus certis referuntur biantes
In cœlum patulæ rores haurire supernos,
Ex quibus orbiculi candentes concipiuntur.
De matutino fit clarior unio rore,
Ros uespertinus fœtus solet edere fuscos,
Et iuuenes conchæ dant baccas candidiores.
Obscuræ fœtus concharum grandior ætas.
Quanto roramis fuerit plus aêris haustum,
Tanto maiorem gignit roratio baccam.
Vltra semunciem sed crescere nulla putatur.
Quòd si celsa micent tonitru conuexa corusco,
Conchæ diffugiunt subita formidine clausæ.
Sic intercepto conceptio deperit haustu,
Et fit abortiuum quod cœperat inde creari.
Insignes baccas prædam maris India gignit,
Gignit & insignes antiqua Britannia baccas.

Hæc omnia de unionibus elegantißimè à Plinio describuntur libro 9. cap. 35. partim ex Aristotele libro 5. & 8. de animalium historia transsumpta, Inter cætera autem inquit Plinius, dos omnis in candore, magnitudine, orbe, læuore, pondere, haud promptis rebus, in tantum ut nulli duo reperiantur indiscreti, unde nomen Vnionum Romanæ scilicet imposuere deliciæ, Nam apud Græcos *Vniones.*

Margaritæ. non est, nec apud barbaros inuentores eius aliud quàm margaritæ &c.

DE PANTHERA. CAP. LI.

PAntheram multos testantur habere colores,
Nam niger atq; rubens, uiridis, pallensq; uidetur,
Purpureus roseusq; simul, sparsimq; colores
Hos habet, & uario distinctus schemate uernat.
Expedit hunc orto quàm primum sole uidere,
Vt uictor possis omnes exire per actus,
Ipso namq; die poterit te uincere nemo.
Pantheram patet esse feram diuersicolorem,
India quam gignit, cuius pauefacta leonum
Voce fugit rabies, quam bestia contremit omnis.
Huius ad exemplar sic est lapis iste uocatus.

Pantheram propter colorum uarietatem, appellatam uolunt nomine bestiæ, quæ græcis pardalis, latinis panthera uocatur. Plinius de eo nihil amplius tradit quàm hæc uerba. Sunt & à Leonis pelle & pantheræ nominatæ, Leontios, pardalios. Pardalios itaq; gemma est, panthera latinis appellata.]

Panhera. Panthera fera. Leontio. Pardalus.

DE APSYCTO. CAP. LII.

APsyctos nigri non ultima gemma coloris,
Ad gratam speciem rubris interlita uenis,

Ponder

Pondere maioris mensura corporis æquat.
Hanc simul admoto suscepit ab igne calorem.
Testantur calidam septem durare diebus.

Huius gemmæ nomen uarie deprauatum in uulgatis gemmarijs reperitur. Nam alij Abiston, alij absithon, alij absitton, alij absyrtum appellant. Et de ea nihil aliud quàm quod his uersibus continetur predicant. Apud Plinium certè apsycti nomine eius mentio fit, Ego itaq; hunc lapidem apsycton rectè appellari græca uoce arbitror, ab eo quòd calorem semel ab igne conceptum per septem continuos dies conseruat, id enim significat uox ἄψυκτος, nimirum non frigescens. Abystos. Absyrtus. Apsyctos.

DE CHALCOPHANO.
CAP. LIII.

CHalcophanos pulsata refert tinnitibus æra,
Qui si tractetur reuerenter corpore casto,
Vocis dulce melos aiunt conferre gerenti,
Et ne raucescant liquidas defendere fauces.
Hic etiam nigrum perhibetur habere colorem.

Chalcophanos ab eo quòd æs appareat tinnitum reddendo, appellatus uidetur, aliqui tamen chalcophonum, ab eo quòd æris uocem reddat, dictum uolunt. chalchophanus nigra est, sed illisa Chalcophanus.

æris

æris tinnitum reddit, inquit Plinius, Tragœdis ut suadent gestanda. Atque hoc propterea ut appareat, quòd uocis claritatem facit.

DE MOLOCHITE CAP. LIIII.

INfantum cunas uirtute sua Molochites
Protegit, & casus abigit quoscunq; sinistros,
Ne teneros artus pars poßit iniqua nocere,
Dat lapidi pretium uirtus cumulata decore,
Crassum quippe uirẽsq; similis solet esse Smaragdo.
Hunc Arabum gentes prius inueniße feruntur.

Molochites. Non translucet inquit Plinius, Molochites, spißius uirens, à colore maluæ nomine accepto, reddendis laudata signis, & infantium custodia quadam, innato contra pericula ipsorum medicamine. Hæc Plinius: ex quo & hic, & alij, ea quæ de hac gemma prodiderunt, transscripserunt. Maluam autem siluestrem siue hibiscum, Molochon agrian, dici, idem Plinius autor est. (Molochõ.)

DE TECOLITHO. CA. LV.

TEcolithus nucleo similis perhibetur oliuæ,
Aspectu uilis, naturæ ui pretiosus,
Namq; solutus aquis, & ab his quibus expedit hau-
Dicitur esse potens lapidosos soluere rhenes, (stus,
Vesicæq; simul purgare dolentis harenas.

Tecolithos. Tecolithus lapis est, à Galeno Dioscor. & alijs

ueteribus, Iudaicus appellatus, à regione in qua na-scitur. Est autem albus, satis concinnus, figura glandis, lineas habens uelut à torno factas, & utuntur ipso ad uesicæ lapides, dissoluto in coticula, ex aquæ calidæ cyathis tribus eum potandum exhibentes. Nos autem inquit Galenus, in his quibus ipsum exhibuimus, experti sumus ipsum nihil effecisse ad uesicæ lapides atterendos. Verũ ad eos qui in renibus consistunt efficax est. Quare sanè ab hac frangendi & atterendi lapidem ui, à recentioribus τηκόλιθος cognominatus est. Apud Galenum lib. 10. de compos. medica. secundum locos cap. 1. Idem lapis Syriacus appellatur, ab alijs etiam Palæstinus, quia in Palæstina Syria nascitur. Hunc lapidem Plinius lingentium calculos frangere pellereq; dicit. Ego tamen bibentium pro lingentium legendum puto.

Iudaicus.

Syriacus.

Palæstinus.

Plinij locus.

DE PYRITE. CAP. LVI.

Cui fuluus color est, cui nomẽ ab igne pyrites,
Se uetat adstringi pertractariq; recusat.
Tangi uult leuiter, pauidaq; manu retineri,
Nam pressus nimium digitos stringentis adurit.

Quæ de pyrite lapide his uersibus traduntur, etiam in uulgatis gemmarijs libellis habemur. Verum uires medicæ à Diosc. Galeno, Aëtio, Paulo, itemq; Plinio recensentur, Et Diosco. quidem sic

Pyrites.

describit. Pyrites species est lapidis, ex quo æs conflatur, probatur autem maximè æri similis, & facilè scintillas emittens. Plinius autem sic: Molarem quidam pyriten uocant, quoniam sit pulrimus ignis illi. Sed est alius etiamnum pyrites similitudine æris. In Cypro eum reperiri uolunt, & in metallis quæ sunt circa Acarnaniam, unum argenteo colore, & alterum aureo. Ex utriusq; igitur autoris uerbis palàm fit, pyriten non alium lapidem esse quàm qui ex fodinis metallicis effoditur, & uulgò nostrati Kis appellatur, & ex quo tum argentum, tum æs excoquitur. Quòd autem Molarem quosdam pyriten uocare Plinius dicit, etiam Paulus subindicat, quum ait: Pyrites ex numero eorum est qui fortiter discutiunt tum tumores, tum sanguinem in grumos concretum, quo non præsente, mylite hoc est molari utuntur. Sunt tamen exemplaria Plinij, quæ pro uoce Molarem, Corallium habent, quod ipsum sic quidam acceperunt, quasi corallum ob intentam rubedinem pyritæ nomine ueniat. Cæterum quod subdit Plinius: pyritarum etiamnum aliqui genus unũ faciunt, plurimum habẽs ignis, quos uiuos appellamus, et ponderosißimi sunt. Hi exploratoribus castrorum maximè necessarij, qui clauo uel altero lapide percußi, scintillas edunt, quæ exceptæ sulphuratis, aut fungis aridis, uel folijs, dicto celerius ignem trahunt: de nullo alio lapide accipien-

Molaris.

Mylites.

Coralliũ.

Pyritæ uiui.

piendum puto, quàm qui uulgò ignarius dicitur, ab eo usu quem ipsum præstare Plinius scripsit. Quidam tamen hunc silicum generi adscribunt. Et de hoc sanè pyrite etiam alibi loquitur Plinius, inquit: Pyrites nigra quidem, sed attritu digitos adurit, id quod etiam de hoc tantum pyrite his uersibus autor testatum reliquit, ut qui alijs uiribus præditus non sit. Vires porrò aliorum in medicina sunt, ex calfacere, siccare, discutere, humorem extenuare, & duritias nimias emollire uelut idem Plinius ac Dioscorides prodiderunt.

Ig... lapis.

DE DIADOCHO, CAP. LVII.

Diadochus per aquā responsa petentib. aptus,
Dæmonis effigies uarias ostendere fertur.
Nec lapis est alius qui fortius euocet umbras,
Sed si defuncto quis forsitan applicet illum,
Protinus asseritur solitas amittere uires.
Namq; sacer lapis est, et quē mors sternit, abhorret.
Hunc autem perhibent similem fulgore berillo.

De Diadocho non plura Plinius quàm hæc uerba. Diadochus berillo similis est. In uulgatis gemmarijs habetur, iniectum ipsum aquæ uarias facere dæmonum effigies, ita ut responsa dent petentibus, & quod defuncto corpori admotus, uires perdat.

Diadochus.

Quæ ſanè etiam his uerſibus compræhenſa ac expreſſa habemus.

DE DIONYSIA.
CAP. LVIII.

Nigra micat rubris Dionyſia conſita guttis,
Hãc in aqua tritã, uinũ fragrare loquũtur,
Et tamen ebrietas ipſius odore fugatur.
In quo naturæ ſolito nihil ordine currit,
Dum lapis ex lympha uini producit odorem,
Quanque creare ſolet uinum, fugat ebrietatem.

Dionyſia. Dionyſiam equidem gemmam, à dionyſio, id eſt baccho appellatam eſſe puto, ab eo quòd dionyſij, hoc eſt uini odorem habet, ſi in aqua trita fuerit. Ita enim Plinius quoq; de ipſa tradit. Dionyſias inquit, nigra ac dura mixtis rubentibus maculis, quæ ex aqua trita ſaporem uini facit, & ebrietati reſiſter putatur. Saporem itaq; uini Plinius ipſam habere dicit, quum reliqui odorem tantum uini ipſi attribuant, & quod odore ipſius ebrietas fugetur, non ſapore & potu, quod tamen facilius creditu exiſtit.

DE CHRYSELECTRO.
CAP. LIX.

Esse Chryſelectros ſimilis deſcribitur auro,
Cuius ad electrum color inclinare uidetur.

Hic matutinis uisu iucundior horis,
Dißimilem speciem post adspicientibus offert.
Cuius materies rapidißima dicitur ignis,
Nam citò uicino correptus flagrat ab igne.

Chryselectros ut hic usurpatur, aut potius Chryselectrum, est electrum siue succinum aurei coloris. De hoc Plinius, ubi de succino agit, sic tradit: Callistratus & differentiam nouam attulit, appellando Chryselectrum, quasi coloris aurei, & matutino gratißimi aspectus. Rapacißimum ignium, & si iuxta fuerint, celerrimè ardescens. Hoc collo alligatum mederi febribus & morbis. Tritum cum melle ac rosaceo aurium uitijs, Et si cum melle Attico conteratur, oculorum quoq; obscuritatibus, Stomachi etiam uitijs uel per se farina eius sumpta, uel cũ mastiche ex aqua pota &c. Egimus de hoc etiam capite de Lyncurio.

Chryselectrum. Electrum. Succinũ.

DE CHRYSOPASIO. CAP. LX.

AEthiopũ tellus lapidẽ Chrysopasion edit,
Quẽ tenebræ produnt, occultũ tẽpore lucis
Noctibus igne micans, uanescit luce diurna,
Absq; nitore iacens, auri pallore sepultus.
Hic quoq; naturæ mutatus cernitur ordo
Nam quem lux celat, uerso nox more reuelat.

De hoc lapide ambigua est apud uulgares gemmarios libellos traditio, quidam enim ipsum cum Chrysoprasio confundunt, ob nominis ut puto similitudinem decepti. Quidam diuersum faciunt, uelut etiam horum uersuum autor. Et tamen nihil amplius de usu aut uiribus eius produnt, quàm quòd etiam his uersibus habetur, quòd uidelicet noctu igneo colore micet, interdiu uerò hebes sit is ignis, & solus auri color in ipso conspiciatur. quemadmodum quædam ligna putrida noctu micare solent. Apud Plinium certè de solo Chrysoprasio mentio fit, neq; Chrysopasion hũc nouisse uidetur, nisi eum Chrysolampidem alio nomine appellauit, quod eò procliuius credo, quòd hæc uerba de ipso prodat, quæ hic de Chrysopasio habentur, Chrysolampis inquit, in Aethiopia nascitur, pallidi coloris, die & noctu ignei. Quapropter, ab auri aspectu nomen duxisse putandus est, & quòd auri colorem referat ac de se præbeat.

Chrysoprasius Chrysopasius.

Chrysolampus.

EPILOGVS.

HAEc ex innumeris excerpta uocabula gẽmis,
Sufficiat nostro collecta labore teneri,
Quæ decies senis distincta patent capitellis.
Annulus & gemmam digitis aptandus haberet,
Dicitur imprimis fecisse Prometheus usum.
Caucaseæ rupis quem fragmina lucida ferro

Anuli inuentio,

Inclusisse ferunt, digitoq; recepta tulisse,
Aetas posterior iunxit pretiosa metalla,
Et lapides caros, adiecit & insuper artem,
Insuetamq; manum triplici uestiuit honore.
Sed fraus intactum quia nil humana relinquit,
Inuida naturam dum scilicet ars imitatur,
Veras à falsis labor est discernere gemmas,
Callida quas didicit uitro simulare doloso, Gemmæ
Dum ueram speciem mentitur adultera forma, adulte-
Inde fit ut uirtus gemmarum nulla putetur. ratæ,
Ignaros quoties tentata probatio fallit.
Si ueræ species fuerint si rite sacratæ,
Effectus miri procul à dubio comitantur.
Gemmis à gummi nomen posuere priores,
Quòd translucerent gummi splendentis ad instar. Gemmæ
Quæ non translucent, cæcas uoluere uocari. unde di-
Nomine sed lapidis species signantur utræque. ctæ.
Propter quod lapidum titulo liber iste notatur. Cæcæ gē
mæ.

Totum Epilogum ex Plinio transscripsit, quem de uniuersa gemmaria re amplius consulere potes.

FINIS.





FRANC. CHR. EGEN.

M. D. XL.

[redacted]